

**DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.**

**Commentarii in materiam de peccatis**

(1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>)

[f.402]

Q. 80

De causa peccati ex parte diaboli

**Art. 1. Utrum Diabolus sit homini directe causa peccandi**

CONCLUSIO D.Thomae: Diabolus non potest hominis peccatum directe causare sed indirecte proponendo exterius appetibile et persuadendo illi inesse bonitatem. Hic late Caietanus discutit quid D.Thomas intelligat illo complexo. *Directe causa*<sup>1</sup>. Sed quantum conicio ex hoc et sequentibus articulis et ex q.9, a.5 et 6<sup>2</sup>, ubi reperio similem loquendi formam, ideo Daemon non potest directe causare peccatum quia non potest immediate imprimere aliquam qualitatem in nostro intellectu vel voluntate nec concurrere efficiendo simul nobiscum intellectionem aut volitionem nostram sed solum proponendo obiectum, et hoc significat ille modus loquendi Ioannes 13 [2] *cum [f.402v] diabolus iam misisset in cor*, et forte idem intelligitur Ps.77 [49] dum ait *immissiones per angelos malos*; propterea etiam Patres *sugerendi* verbo utuntur quando de diabolo tractant.

**Art.2. Utrum Diabolus posit movere ad peccandum interius instigando**

Affirmat D. Thomas hic, et Sancti passim, vide loca infra citanda a.3, praesertim Gregorius 32 Moralium cap.24 et 25<sup>3</sup>, et Cassianus, Collatione 8<sup>4</sup>. —Probatur 1<sup>o</sup>, quia alias numquam daemones tentarent nisi visibiliter apparendo. —2<sup>o</sup> quia daemones ut alii angeli habent naturalem potestatem movendi corpora per imperium sicque possunt in cerebro movere spiritum in quibus sunt species obiectorum sensibilium ut illae excitent imaginationem et peculiariter applicare quoad eam

---

<sup>1</sup> Editio leonina operum S.Thomae cum commentariis Card.Caietani, t.7, p.83.

<sup>2</sup> THOMAS AQUINAS, 1 2, q.9, a.5; a.6. Ed.leon. 6,78; 80.

<sup>3</sup> GREGORIO MAGNO, Moralium l.32, PL 76,666.

<sup>4</sup> JUAN CASIANO, *Collationum XXIV Collectio*, Col.8.PL 49,719.

partem quae magis excitat. Insuper possunt movendo humores et cor excitare passiones in appetitu quod luculenter explicat D.Thomas.

### **Art.3. Utrum Diabolus posit necessitatem inferre ad peccandum**

Negant Doctores ut Damascenus, 2 Fidei cap.4 fine<sup>5</sup>; Augustinus ex professo homilia 12 in id Iacobi 5 [16] *confitemini ad alterutrum peccata vestra*; et in Ps.91 prope initium, et tractatu 52 in Ioannem; Chrisostomus, homilia 18 Operis imperfecti in Mt; Irenaeus libro 5, cap.24<sup>6</sup>; Naziancenus in libro Spiritualium sententiarum quas carmine composuit; Gregorius, 13 Moralium, cap.9<sup>7</sup>.

PROBATUR quia si diabolus nos ad peccandum compelleret, non preciperet Petrus 1, cap. ultimo [5,9] *cui, resistite fortes in fide* quoniam hoc esset impossibile. —2<sup>o</sup>, quia de ratione peccati est libertas, supra, q.71, a.6, dubio 4. —3<sup>o</sup> probatur Ephes. 6 [16] *in omnibus sumentes scutum fidei in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, et Iacobi 4 [7] *resistite Diabolo et fugiet a vobis*.

Nihilominus potest diabolus compellere et necessitatem inferre ad actum exteriorum peccati, ut ad verba blasphemiae et ad vulnera ut constat in arreptitiis, immo diabolus poterit indirecte afferre necessitatem eliciendi actum voluntatis intrinsece malum ut quo velit quis vindictam, cognoscens malitiam vindictae, nam ut amens, potest habere eiusmodi actus non imputabiles; poterit etiam Daemon homini deiecto mentis statu ita movere imaginativam ut non posit oboedire rationi, et repraesentare ea quae efficaciter moveant ad appetendam vindictam cognitam ut malam.

Illa difficultas quam tangit D.Thomas ad 3, videlicet ut cum actus appetitus cui voluntas resistit sit peccatum, late discussa est supra, q.74, a.3, dubio 4<sup>8</sup>. [f.403]

### **Art.4. Utrum omnia peccata hominum sint sugestione diaboli**

Valentinus, manichae et armenii apud Castro libro 12, verbo *peccatum*, haeresi 3, dixerunt peccatum esse a Daemone et a nostro libero arbitrio, verum hic error satis reiectus est toties quoties probatum

<sup>5</sup> JUAN DAMASCENO, *Expositio accurata Fidei Orthodoxae*, l.2, c.4. PG 94, 878.

<sup>6</sup> IRENENEO, *Contra haereses*, libro 5, c.24. PG 7, 1187s.

<sup>7</sup> GREGORIUS MAGNO, *Moralium*, l.13. PL 75,1026.

<sup>8</sup> ATG 59 (1996) p.210.

est peccatum pertinere ad voluntatem ut ad causam et subiectum illius, et peccatum esse liberum. Vide Sanderum, 7 De visibili monarchia, a.602.

D.Thomas hic et 1 p., q.114, a.3<sup>9</sup>; Alexander, 2 p., q.100, mem 3, a.4, et D. Bonaventura 2, d.21, a.2, q.2<sup>10</sup>, praesenti quaestioni eodem modo respondent sequentibus conclusionibus.

1<sup>a</sup> CONCLUSIO: omnium nostrorum peccatorum causa est diabolus remote et occasione data graviter fuit primi peccati propter quod omnes proclives mansimus ad peccandum et non committeremus haec peccata quae modo committimus sublato originali quamvis possemus alia committere. —Et in hoc sensu intelligendi sunt Patres qui omnia peccata nostra diabolo adscribunt, ut D. Dionysius qui 4 De divinis nominibus, p.4, ait multitudo daemonum est causa omnium malorum sibi et aliis; D.Damascenus, libro 2 Fidei, cap.4<sup>11</sup>, *omnis, inquit, pravitas a daemonibus excogitata est et impurae perturbationes*; D.Augustinus, sermone 68 ad fratres in eremo ait cum vero aliquid mali facimus, sive parvum sive magnum hoc nulli dubium est quin angelum malignum hortatorem habeamus qui super hoc nos irridet gaudens, cum angelus sanctus tristatur et dolet; idem fere Origenes, homilia 15 in librum Iosue<sup>12</sup> et D.Hieronymus in id Ieremias 16 qui non dabunt vobis requiem die ac nocte ait: quidquid peccamus imperium est daemonum qui numquam dant nobis requiem, et in id Ps 33 [15] *diverte a malo et fac bonum*; Glossa Hieronymus ait mala omnia ab instinctu diaboli procedunt sicut bona ab instinctu Dei. —Eodem modo intelligendi sunt Patres qui dicunt hominis peccato adhibendum fuisse remedium potius quam peccato daemonis quia alterius suggestionem peccamus, de quo in materia de incarnatione. Vide quae Alexander citatus refert ex Augustino, Isidoro et Bernardo.

Praeterea diabolus dicitur omnium peccatorum causa non efficiens sed exemplaris quomodo dicitur Ioannes 8 [44] *mendatii pater*, ut bene D.Gregorius Nysenus, De oratione dominica prope initium; Augustinus tract.4 et 5 in Ioannem, et D. Gregorius, Levitico 19 concupiscentia, inquit, est mater omnis peccati et diabolus pater, praeterea diabolus dicitur

---

<sup>9</sup> S.THOMAS, 1 p., q.114, a.3. ed.leon.5,535.

<sup>10</sup> BUENAVENTURA, *In 2 Sententiarum*, d.21, q.2. Ed Quarachi 1885, p.500.

<sup>11</sup> JUAN DAMASCENO, *Expositio accurata Fidei Orthodoxae*, l.2, c.4.PG 94,878.

<sup>12</sup> ORIGENES, *Homilia 15 In Librum Iesu Nave*. PG 12,903s.

omnium peccatorum auctor propter potestatem in omnes peccatores et omnia peccata, et ita Augustinus, sermone 48 in Ioannem intelligit illud Ioannis 14 [30] *venit princeps mundi huius et in me non habet quidquam*. Vide D.Thoma, 3 p., q.8, a.7<sup>13</sup>.

2<sup>a</sup> CONCLUSIO: nihilominus aliqua peccata fiunt non sugerente diabolo. Ita Origenes 3 [f.403v] Periargon<sup>14</sup>, cap.2, liber *De ecclesiasticis dogmatibus* qui habetur inter opera Augustini, tomo 3; Gregorius Naziancenus, libro sententiarum quas scripsit versibus, sententia 52; Isidorus 2 De summo bono, cap.17; Beda libro variarum quaestionum, q.13 —PROBATUR quia sufficit sensualitas ut voluntas alliciat ad peccandum ut bene D.Gregorius 3 *Moralium*, cap.18<sup>15</sup>, sub typo uxoris Iob. — Et praeterea in voluntate praecisse est sufficiens principium anteponendi bonum creatum Deo. —CONFIRMATUR quia aliquis angelus sine tentatione alterius angeli et sine concupiscentia peccavit; ergo sine illis continget peccare qui magis deficientem voluntatem habet.

Caetera quae ad tentationem et impugnationem daemonum pertinent videri poterunt in materia de angelis et in D.Thoma 1 p., q.114<sup>16</sup>; Albertus 2p., tract.7, q.28, mem.2; Alexander 2 p., q.117; et communiter scholastici 2, d.21, ubi D.Bonaventura praesertim a.2<sup>17</sup>.

Ex causis exterioribus peccatorum nulla restat praeter hominem qui peccati actualis alterius hominis causa est non aliter quam daemon, videlicet indirecte suadendo et proponendo exterius obiectum et occasiones, quamvis non posit ut Daemon immediate movere humorem et spiritus vitales circa cor et cerebrum — Verumtamen est alia peculiaris ratio in homine causandi peccatum per originem, de qua modo disputandum est.

Ad q. 81, 82 et 83, — Tractatus de originali peccato. Sectio 1<sup>a</sup> De veritate et essentia originalis peccati. — Dubitatur 1<sup>o</sup> Utrum sit peccatum originale, veram culpae rationem habens. — Ubi an ratione naturali probetur.

---

<sup>13</sup> THOMÁS AQ., 3 p. q.8, a.7. Ed. leon. 11,135.

<sup>14</sup> ORIGENES, *Peri arjon*, l.3, c.2. PG 11,305.

<sup>15</sup> GREGORIO MAGNO, *Moralium* l.3. PL 75,618.

<sup>16</sup> THOMAS AQ., 1 p., q.114. Ed.leon.5,533.

<sup>17</sup> BUENAVENTURA, *In 2 Sententiarm*, d.21, a.2. Ed Quarachi 1885, t.2,p.497.

Ad q. 81, 82 et 83. —Tractatus de originali peccato  
Sectio 1: De veritate et essentia originalis peccati  
—Dubitatur 1º: Utrum sit originale peccatum,  
veram culpae rationem habens.—Ubi an ratione naturali probetur

[*Véase ATG 63 (2000) p.203*]

*Archivo Teológico Granadino 67 (2004) 153-209*

**DIEGO RUIZ DE MONTOYA, S.I.**  
**Commentarii in materiam de peccatis**  
**(1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>)<sup>18</sup>**

**Ad q. 81, 82 et 83**  
**TRACTATUS DE ORIGINALI PECCATO**

[f.513] **Sectio 5<sup>a</sup>**  
**DE CAUSIS, ACTIONIBUS,**  
**ET EARUM CONDITIONIBUS QUAE**  
**AD PECCATI ORIGINALIS TRADUCTIONEM**  
**CONCURRENT**

**Dubium 1<sup>um</sup>**  
**De multiplici causarum genere ac praesertim**  
**de efficiente causa**

1<sup>o</sup> revocanda sunt in memoriam quae de causis peccatorum in genere dicta sunt q.75, a.9, 1, quoniam quaerenda non sunt causae quae realiter efficiant et influant; sed tantum secundum rationem, quoniam peccatum originale est ens rationis.

2<sup>o</sup>. Hoc supposito *forma* peccati originalis est privatio iustitiae originalis explicata sectione 1<sup>a</sup>, a dubio 4 usque ad 14<sup>19</sup>; *materia in qua* est essentia animae et secundario etiam voluntas, intellectus et appetitus sensitivus, supra, sect.2, dubio 7<sup>20</sup>. — Materia circa quam versatur et materia ex qua constat originale peccatum est concupiscentia. Supra, sect.1, dubio 16, post conclusionem 8<sup>21</sup>, *–finis* est recessus a Deo et

---

<sup>18</sup> Seguimos publicando el ms. 582 de la Biblioteca de la Universidad de Salamanca, *Commentarium in materiam de peccatis*, a la 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup> de Santo Tomás. Ya publicados los comentarios a las qq.71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, y 88,

<sup>19</sup> *ATG* 63 (2000) p. 247-286 y *ATG* 64 (2001) p. 241-302.

<sup>20</sup> *ATG* 65 (2002), p.264

<sup>21</sup> *ATG* 64 2001, p.325.

quodammodo conversio ad se ipsum, supra sect.1, dubio 9 et 10<sup>22</sup>, quamvis in peccatis causa formalis et finalis reperiantur minus propria quam aliae causae.

Restat igitur in praesenti agere de causa efficiente quae proprius quam aliae concurrat ad originale peccatum. Huius causa efficiens per se est Adamus per primum peccatum, reliquae autem actiones Adami et aliorum hominum et Dei, si requiruntur ad traductionem culpae originalis per accidens requiruntur. Ita docet Augustinus, libro 2 In Iulianum folio ultimo<sup>23</sup>, et ostenditur sequentibus dubiis, praesertim dubio 8, membro 6 ad 3.

3<sup>o</sup> Hinc solvitur illa obiectio Iuliani qua peccatum originale oppugnat his verbis: *non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille condidit; per quas ergo rimas inter tot praesidia innocentiae peccatum fingis ingressum*.

RESPONDET Augustinus, 2 De nuptiis et concupiscentia, cap.28<sup>24</sup>: *quid quaeris latentem rimam cum habeas aptissimam januam per unum hominem, inquit Apostolus, peccatum in mundum intravit*, et in eodem libro, cap.26<sup>25</sup> *voluntarium inquit peccatum hominis primi originalis est causa peccati*. Itaque, ad argumentum Iuliani negari potest consequitio.

Augustini solutio recipitur a Magistro, 2, d.30, § *Unde Augustinus Iuliano*<sup>26</sup>, et communiter a Theologis.

Eadem in re solutio erit si antecedentis primum membrum ita distinxeris: iste qui nascitur non peccat nascendo ita ut nasci peccatum sit nec ullum aliud peccatum personale committitur, verum ille idem peccavit Adamo peccante et nativitate [f.513v] efficitur membrum Adami, a qua unione pendet illius propositionis veritas, ut explicatum est supra sect, 1, dubio 15, fine<sup>27</sup>.

5<sup>o</sup> Hinc sequitur quemcumque hominem fuisse efficientem causam sui peccati originalis quatenus acti Adami moraliter censetur esse actio cuiusque hominis, qua ratione omnes vere in Adamo peccavimus, ut probatum est loco citato. – Sed magis propria ratio causae fuit in Adamo

<sup>22</sup> ATG 64, p.260 264.

<sup>23</sup> AGUSTÍN, *Contra Julianum*, lib.2 PL 44, 695.

<sup>24</sup> AGUSTÍN, *De nuptiis et concupiscentia*, l.2, c.28. PL 44,464.

<sup>25</sup> IDEM, *ibidem*, l.2, c.26. PL 44,461.

<sup>26</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.30; ed. Quaracchi 1916, p.466.

<sup>27</sup> ATG 64, p.260 264.

quoniam ille vera et physica efficientia produxit realem volitionem, a qua tamquam ab efficiente moraliter in ratione demeriti communicante imputabilitatem proveniunt singulorum hominum peccata originalia.

6° Utrum Adamus qui modo beatus est nihilominus causet modo peccata originalia parvulorum qui hoc tempore generantur, dicetur dubio 8, mem.7 ad 3, 5.

### **Dubitatur 2° Utrum Deus sit causa originalis peccati**

Pro parte affirmativa ARGUITUR quoniam anima contrahit originalem culpam eo quod unitur corpori naturaliter propagato ex Adamo; sed infusionis et unionis animae cum corpore et propagationis naturalis Deus est causa; ergo est causa peccati originalis.

CONFIRMATUR quoniam auctor animae auctor est etiam effectus necessario resultantis ex causa, quare homicidii reus erit qui causa dederit ex qua necessario sequitur homicidium; sed ex infusione animae in corpus necessario sequitur originale peccatum; ergo Deus est illius causa.

ARGUITUR 2°, quoniam nullum agens creatum in rationalem animam potest agere; ergo nulla alia causa erit originalis peccati in anima praeter Deum.

ARGUITUR 3°, quoniam si angelus in primo instanti creationis peccavisset, illius peccatum reduceretur in Deum ut in auctorem; sed anima in primo instanti suae creationis contrahit originale peccatum; ergo illud reducitur in Deum ut in auctorem. Consequentia probatur a paritate rationis. Maiorem vero docet evidenter Magister, 2, d.3, § *Aliis autem*<sup>28</sup>, et eam tradunt D. Thomas, Alexander, Durandus<sup>29</sup> et alii, de quo videri possunt expositores D. Thomae, 1 p., q.63, a.5.

4° ARGUITUR quoniam concupiscentiae Deus est causa; sed concupiscentia est peccatum originale; ergo peccati originalis Deus est causa.

5° PROBATUR: Deum posse causare peccatum originale, quoniam divinae bonitati illud minus repugnat quod est minus malum; sed

---

<sup>28</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.3, ed.Quarachi 1916, p.320.

<sup>29</sup> DURANDO A SANCTO PORCIANO, O.P., *In P.Lombardi Sententias.*, 2, d.5.q.2, Venetiis 1586, fol.141v.



peccatum originale minus malum est quam annihilatio aut poena inferni. -In sect. praecedenti, dubio 4<sup>30</sup>; ergo minus repugnat divinae bonitati; sed Deus potest esse causa annihilationis et poenae inferni; ergo potest etiam auctor esse originalis peccati, praesertim quoniam si originale peccatum non repugnat divinae bonitati non repugnabit etiam divinae sapientiae illo uti ut medio ad aliquem bonum finem ut poena damnatorum utitur.

Sit CONCLUSIO: Deus nec est nec esse potest causa originalis peccati. Hoc ut certum suppo-[f.514]-nebat vel Iulianus ipse in argumento superioris dubii, et concedit Augustinus ibidem, et clarius 2<sup>o</sup> libro in Iulianum, folio ultimo<sup>31</sup>; Magister, 2, d.30, § *Unde Augustinus*<sup>32</sup>, et d. 32, *Si vero*<sup>33</sup>; Gulielmus Parisiensis, tomo 1 De vitiis et peccatis, cap. 4, col.3; Alexander, 2 p., q.122, mem.1 prope finem; D. Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q.83, a.1 ad 4<sup>34</sup>, et fusius d.32, q.2, a.1, ubi D. Bonaventura, a.3, q.2 praesertim ad 2<sup>35</sup>; Durandus, q.2<sup>36</sup>; Ricardus a.4, q.2 ad 5 et 6; Driedo, De gratia et libero arbitrio, libro 1, tract.3, cap.1, p.9 ad 1<sup>37</sup>. — Idem sentiunt Doctores qui dicunt concupiscentiam ut est culpa non esse a Deo sed tantum ut est poena; Ita Magister 2, d.32, § *Quaeri solet*<sup>38</sup> ubi D. Bonaventura a.2, q.2<sup>39</sup>, Ricardus a.2, q.1, Albertus, 2 p., q.108, mem.3; Alexander, 2 p., q.122, mem.7, a.4; Ruardus, d.2 Contra Lutherum prope finem, propositione de concupiscentiis.

Ad conclusionem probandam adduci possunt omnia testimonia quibus supra, q.79, a.1, praesertim dubio 1 et 3<sup>40</sup> probatum est Deum non esse auctorem peccati, quae omnia in peccato originali, quoniam vere et proprie culpa est, suam vim retinent. — Sed in specie Deum non esse auctorem originalis peccati colligitur efficaciter ex illis testimoniis quibus asseritur mortis auctorem non esse Deum sed daemonem atque

<sup>30</sup> ATG 66 (2003) p.216.

<sup>31</sup> AUGUSTIN, *Contra Iulianum pelagianum*, l.1, fine. PL 44,671s.

<sup>32</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.30, ed. Quarachi 1916, p.466.

<sup>33</sup> ID, *Ibid.*, 2, d.32, *Ibid.* p.476.

<sup>34</sup> TOMÁS AQ, 1 2 q.83, a.1 ad 4. Ed.leon.7,101.

<sup>35</sup> BUENAVENTURA, *In 2 Sententiarum*, d.32, a.3, q.2 ad 2. Quarachi 1885, p.773.

<sup>36</sup> DURANDO A SANCTO PORCIANO, *In Sententias Theologicas P.Lombardi*, l.2, d.32,q.2.Venetiis 1586,fol.185v.

<sup>37</sup> JUAN DRIEDO, *De Gratia et libero arbitrio*, l.1, tract.3, c.1. pars 9..Lovanii 1566, fol.118.

<sup>38</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, q.32, ed Quarachi 1916, p.476.

<sup>39</sup> BUENAVENTURA, *In 2 Sententiarum*, d.32, a.2, q.2. Quarachi 1885, p.767.

<sup>40</sup> ATG 62 (1999), p.141, 169.

hominem, cuius argumenti vim magnam esse perspicies si tres propositiones observes: —1<sup>a</sup> mors est effectus resultans ex originali peccato, et non resultat ex peccatis personalibus, quoniam ad illa praesupponitur hominem iam esse spoliatum iustitia et immortalitate. — 2<sup>a</sup> propositio: mortis, ut poena est, sine controversia Deus est auctor et causa, quo sensu dicitur Eccli 11 [14] *Vita et mors a Domino Deo est*, de quo praesertim Augustinus, 1<sup>o</sup> Retractationum cap. 26<sup>41</sup>, et diximus q.79, a.1, dubio 1 ad 5<sup>42</sup>. — Ex his colligitur 3<sup>a</sup> propositio: quando dicitur Deum non esse causam nec auctorem mortis intelligendum est aut de morte quae est mortalis culpa aut de morte corporis in quantum procedit ab originali culpa; quod si Deus auctor esset originalis culpae auctor esset corporalis mortis quatenus ab originali peccato procedit. — Quod autem Deus auctor fuerit vitae et immortalitatis sed minime induxerit mortem, quin potius homines libere sibi eam attulerint, illustri testimonio traditur Sapientiae 2 fine [24] et in sequenti cap.: *invidia diaboli mors introivit in orbem terrae* et ad Rom. 5 [12]: *per unum hominem peccatum introivit in mundum et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransit*.

Probatur 2<sup>o</sup> ex cap. 7 Eccl. fine [30]: *Deus fecit hominem rectum et ipse se infinitis miscuit quaestionibus*. Lenius sententiae prior pars ad originalem iustitiam, posterior ad originale peccatum pertinet ut ostendimus sect.1, dubio 5, probatione 5<sup>43</sup>. Notetur ergo quid Deo, quid homini Sacra Scriptura tribuat.

Ratio autem a priori est quoniam peccatum originale essentialiter est aversio a Deo, supra [f.514v] sect.1, dubio 9<sup>44</sup>, et est dignitas odii Dei, in eadem sect.1, dubio 12<sup>45</sup>; ergo non potest fieri in illud divina voluntas et potentia. Consequentiam probo quoniam divina voluntas, quae vult, omnia vult propter summum bonum, et potentia omnia propter semetipsam operatur; at vero peccatum originale essentialiter est deviatio a fine et aversio ab illo, quare non potest secundum rectam rationem amari propter illum finem. — De huius et similium rationum pondere

---

<sup>41</sup> AUGUSTINUS, *Retractationum*, l.1, c.26. PL.32, 624.

<sup>42</sup> *ATG* 62, (1999), p.141-187.

<sup>43</sup> *ATG* 63 (2000), p.266.

<sup>44</sup> *ATG* 64 (2001), p.260.

<sup>45</sup> *Ibid.* p.278.

fuse dictum est q.79, a.1<sup>46</sup>

CONFIRMATUR 1<sup>o</sup>: quoniam nullus potest auctor esse originalis peccati quin etiam sit auctor peccati personalis, nam in ratione formali originalis peccati distinguimus duas quasi partes, altera est negatio originalis iustitiae et huius Deus causa est negando concursus quo causanda fuisset iustitia originalis, quare de causalitate huius partis praecise nihil refert ad praesens; altera pars est ordo huius negationis ad inoboedientiam primi parentis, quae moraliter permanet et imputatur. Hic ordo rationis non potest causari nisi causando actuale peccatum capitis quod ostenditur enumerando ea quae requiruntur ut peccatum originale contrahatur, 1<sup>o</sup> enim supponitur Adamum accepisse iustitiam originalem cum pacto atque praecepto servandi eam sibi et posteris; 2<sup>o</sup> requiritur Adamum peccavisse, et 3<sup>o</sup> requiritur homines genitos esse paterno genere Adami. Ex his autem primum et postremum ex se bona sunt; et non sunt per se causa originalis peccati sed omnino per accidens, quare solum secundum, scilicet inoboedientia Adami est causa ex qua per se resultat ille ordo imputabilitatis; ergo nullus erit causa originalis peccati nisi causa sit actualis inoboedientiae Adami, qua sublata impossibile est originale peccatum existere et qua posita suppositis aliis duobus necessarium est existere originale peccatum.

CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quoniam nullus potest velle et causare peccatum originale nisi velit et causet obiectum quod sufficit ad peccatum mortale personale; sed peccati personalis obiectum Deus non potest velle nec causare; ergo nec peccatum originale. Vis argumenti explicatur exemplo haeresis, quam in amente vel dormiente Deus causare non potest etiamsi de defectu libertatis homini non imputetur ad culpam, idque propterea quod haeresis est intrinsece turpis et contra rationem et habet totum quod requiritur ut volitio libera illius sit peccatum mortale. Similiter ergo quamvis culpa originalis comparatione hominum non sit peccatum personale sed tantum peccatum originale idque propterea quoniam defuit volitio personae et solum adest volitio naturae et capitis, nihilominus culpa illa in se habet turpitudinem quae si volita esset et causata voluntate personae sufficeret ad peccatum mortale personale; ergo Deus non potest illam causare et velle. **[f.515]**

Ad 1<sup>um</sup> argumentum RESPONDEO: animae creatio, infusio, unio cum

---

<sup>46</sup> *ATG 62 (1999), p.141.*

corpore naturaliter propagato ex Adamo ac denique generatio non afferunt per se originale peccatum sed tantum humanam naturam; sola culpa Adami fuit causa per se ut contrahatur originale peccatum; at vero unio animae cum corpore est conditio a qua dependet unio infantis cum Adamo ut cum capite, quae unio, quod ex se est nihil habet mali, et totum malum redundat ex vitio capitis ac proinde quamvis Deus sit auctor creationis, infusionis, unionis ac totius generationis non est auctor peccati originalis. Quod autem D.Thomas, q.83, a.1 ad 4<sup>47</sup>, et Ricardus supra dicunt animam ex infusione maculari *habito respectu ad corpus cui infunditur* non est dictum propter id quod ex natura sua et per se habet infusio, sed propter culpam quae comitatur infusionem supposita praevaricatione Adami et corruptione naturae.

Ad confirmationem RESPONDEO distinguendo maiorem: si ille qui auctor est causae directe intendat effectum inde resultantem vel saltem praecepto teneatur impedire illum effectum, ille moraliter censetur auctor esse effectus; si autem aliquis nec directe intendat effectum resultantem ex causa nec teneatur illum vitare non censetur esse auctor illius, quamvis sit auctor causae, ut saepe dictum est praesertim q. 79, a.1, dubio 4 et 5<sup>48</sup>.

Ad 2 RESPONDEO distinguendo antecedens, nam utrum reali et physica actione aliquod agens creatum posit agere in animam rationalem, nihil refert ad praesens, satis enim est morali actione demeriti agere posse quatenus propter actum capitis tota natura digna est carere originali iustitia et subiacerere irae atque vindictae.

Ad 3, ommissa maiori et concessa mnori, nego consequentiam quoniam anima rationalis ut potest ex materia et defectu agentis naturalis impediri a suis actionibus ita potest propter unionem cum materia propagata ex Adamo contrahere originalem culpam, quam tamen angelus ratione generationis contrahere non potest cum a Deo sit immediate creatus nulli materiae uniendus, quare angelus non contrahit culpam nisi personali volitione quae in primo instanti creationis refunditur quoniam ad Deum pertinet opus a se immediate productum non solum potentiis sed etiam actionibus perfectum et absolutum in lucem emittere ita ut illius integram curam gerat in primo instanti et postea suae libertati relinquat ut solent qui alios homines in statu, officio vel dignitate

---

<sup>47</sup> TOMÁS AQ., 1 2, q.83, a.1. *Ed.leon. t.7, p.101.*

<sup>48</sup> *ATG 62 (1999) p.172.*

collocant, illos in principio dirigere, de quo alias. Ita D.Thomas, d.32, q.2, a.1<sup>49</sup>, atque idem fere Ricardus eadem distinctione, a.4, q.2 ad 4.

Ad 4 distingo antecedens: concupiscentiae, qua ratione peccatum est Deus non est causa sed quatenus concupiscentia sunt naturales potentiae et quatenus poena est, ut fuse explicuimus sect.1, dubio 16 ad 7<sup>50</sup>. **[f.515v]**

Ad 5 RESPONDEO 1° distinguendo maiorem, nam divinae bonitati illud magis repugnat quod est magis malum comparatione volitionis liberae et ut volitum est quamvis praecisa volitione non sit magis malum, sicque peccatum originale respectu cuiusque volitionis personalis deterius obiectum est quam annihilatio quoniam est obiectum sufficiens ut volitio illius sit peccatum mortale personale quod explicatur ex doctrina tradita in postrema confirmatione, nam error contra finem in amente aut dormiente est malum levius quam annihilatio, et nihilominus Deus non potest illud causare quoniam est sufficiens obiectum ut volitio libera illius sit peccatum mortale quod est malum gravius et essentialiter contrarium Deo. — RESPONDEO distinguendo minorem nam licet peccatum originale precise sumptum sit malum levius quam annihilatio, coniunctum tamen cum inoboedientia Adami efficit malum gravius, et originale peccatum non potest causari nisi causando Adami inoboedientiam, ut in 1<sup>a</sup> confirmatione conclusionis dictum est.

### **Dubitatur 3°**

#### **Utrum divinae sapientiae aut iustitiae repugnet animam infundere corpora quo scit inficiendam fore originali peccato**

De hoc satis dictum est sectione 2, dubio 4 ad argumentum 3 et 4 et 5<sup>51</sup>.

### **Dubitatur 4°**

#### **Utrum generatio sit actio qua peccatum originale traducitur**

1° Suppono ex sectione 1, dubio 1<sup>52</sup>, originale peccatum generatione

---

<sup>49</sup> THOMAS AQ., *In 2 Sententiarum*, d.32, q.2, a.1.Ed. Vivès 8,436.

<sup>50</sup> *ATG 64 (2001)* p.329.

<sup>51</sup> *ATG 65 (2002)* p.239

<sup>52</sup> *ATG 63 (2000)* p.205.

transmitti ubi Conciliorum et Patrum definitiones in id praesertim contra haereticos incumbunt ut peccatum originale non imitatione sed propagatione traducatur, propagatio autem eadem actio est quam generatio; verum si quis desideret haec ipsa verba *generatione contrahi* originale peccatum reperiet in Tridentino, sess. 5, § 4 fine<sup>53</sup>, imo inde ducitur ethimologia nominis originale peccatum, ac denique omnes catholici fatentur infantes in maternis uteris antequam nascantur extinctos detineri in limbo reos originalis peccati et exules a coelesti patria. Quare Doctores qui dicunt originale peccatum nativitate contrahi, nativitatis nomen accipiunt pro generatione, ut loquitur Ciprianus apud Augustinum, 1<sup>o</sup> Contra Julianum, columna 3<sup>54</sup>

2<sup>o</sup>. Originale peccatum non contrahitur in principio generationis sed in eius termino quando anima rationalis corpori infunditur, ut constat ex iis quae diximus sect.2, dubio 4<sup>55</sup>, et praeterea probatur quoniam tunc primo existit originale peccatum quando primo existit persona capax peccati cum conditionibus requisitis ad peccatum, persona autem peccati capax tunc [f.516] primo existit quando primo constituitur homo per unionem animae cum corpore et tunc primo est conditio requisita ut peccatum originale traducatur scilicet hominem vere esse filium Adami ex paterno genere. Unde praeterea sequitur animam rationalem in primo instanti creationis contrahere originale peccatum quoniam in eodem instanti primo creationis corpori infunditur de quo fusius scribit Ricardus 2, d.32, a.4, q.2.

Nunc directe quaestioni satisfaciendo DICO 1<sup>o</sup>: proprie et formaliter loquendo generatio non est actio qua originale peccatum producitur. Probatur 1<sup>o</sup>, quoniam generationis terminus adaequatus est homo ut resultans ex corpore et anima rationali unitis; ergo generatio non terminatur ad peccatum originale. —2<sup>o</sup>, quoniam tota ratio generationis viro conveniente cum foemina existeret in statu innocentiae et in puris naturalibus et tunc per generationem non produceretur originale peccatum. —3<sup>o</sup>, quoniam generatio est actio essentialiter bona et a Deo procedens; ergo non potest terminari ad peccatum.

CONFIRMATUR quoniam hinc solvuntur aliquae haereticorum calumniae contra originale peccatum, de quibus postea.

---

<sup>53</sup> Dz 791, 4.

<sup>54</sup> AGUSTIN, *Contra Iulianum*, 1, c.3. PL 44,644.

<sup>55</sup> *ATG 65 (2002)* p.238.

DICO 2<sup>o</sup>: si quaeras actionem qua formaliter et per se traducatur sive producat originalis peccatum, RESPONDEO realem actionem nullam esse quoniam peccatum originale non est ens reale; at vero secundum modum intelligendi proportione quadam ad vera entia possumus privationem iustitiae originalis duplici modo intelligere: 1<sup>o</sup>, quasi in fieri sive quod idem est sub ea formalitate qua est actu pendens ab inoboedientia Adami, et sub hac formalitate dependentiae erit actio quae per se et formaliter terminatur ad privationem iustitiae originalis in facto esse. —Haec explicanda sunt proportione servata ad ea quae de reali actione diximus in praedicamentis.

DICO 3<sup>o</sup>: generatio ad traductionem originalis peccati concurrat per accidens, scilicet ut actio cum qua per accidens coniuncta est alia actio qua formaliter producat originalis peccatum. Hanc conclusionem docent Doctores citandi in solutione primi argumenti, et ratio est quoniam sicut naturae humanae ex Adamo productae adiungitur per accidens originale peccatum ita actioni qua producat natura humana, scilicet generationi, per accidens adiungitur actio productiva originalis peccati nam si termini actionum per accidens coniungantur actiones quae ad illos terminantur non possunt cohaerere per se.

DICO 4<sup>o</sup>: propterea generationem comitatur productio originalis peccati quoniam generatio unit filios cum suis omnibus progenitoribus et supponitur in primo parente pactum nomine posteritatis et transgressio pacti.

Hinc solvuntur aliquae obiectiones haeticorum contra originale peccatum:

1<sup>a</sup>, quoniam si peccatum aliquod per generationem traducatur malum esset coniugium quod generationis et peccati traducendi causa foret. Consequens autem falsum esse constat quia sexuum [f. 516v] distinctio, matrimonium et eius usus a Deo instituta sunt et praecepta. — Ut omittamus alios qui propter rebellionem concupiscentiae vel alia de causa dixerunt demonem et non Deum auctorem esse generationis et matrimonii, ut Simonem Magum, Saturninum, gnosticos, manichaeos, tatianos, adamianos et alios haeticos quos refert Bellarminus, tomo 1, libro 1 De Matrimonio, cap. 1<sup>56</sup>. In praesenti cum illis tantum disputamus qui ex originali peccato colligunt malum esse coniugium et illius actum,

---

<sup>56</sup> ROBERTO BELARMINO, *De Sacramento Matrimonii*, c.1. Ed. Vivès, 1873, t.5, p.37.

quos refert et refutat Clemens Alexandrinus, 3 Stromatum, pag. ultima<sup>57</sup>; D. Augustinus, 2 In Iulianum, col.11<sup>58</sup>, ubi ex D. Ambrosio, De Philosophia contra Platonem et in Apologia David, pag.11<sup>59</sup> probat non solum animam sed etiam corpus, nuptias et generationem hominis esse opus Dei et bonum. Sed fusius RESPONDET Augustinus duobus libris De nuptiis et concupiscentia, et summa solutionis haec est: coniugium et generatio bona sunt et a Deo instituta et non sunt causa originalis peccati quoniam ab illis non provenit per se sed per accidens illis adiungitur. Ita RESPONDET Alexander, 2 p., q.122, mem.1 ad 2; D. Bonaventura, 2, d.30, a.1, q.2 ad 2<sup>60</sup>; Ricardus, eadem d., a.1, q.1 ad 1, et communiter Doctores.

2<sup>o</sup>, urget haereticus quoniam quando malum sequitur necessario ex bono etiamsi per accidens sequatur omittendum est bonum ut vitetur malum; sed originale peccatum sequitur necessario ex generatione et matrimonio; ergo omittendum est matrimonium et generatio. — RESPONDET 1<sup>o</sup> D. Bonaventura citatus distinguendo maiorem, nam quando malum quod sequitur praeponderat bono, tunc omittendum est bonum, at vero filio producto melius est cum originali peccato quam omnino non existere, ut sectione 4, dubio 4<sup>61</sup>, dictum est, et ideo non est omittenda generatio. — RESPONDERI potest 2<sup>o</sup>, etiamsi respectu cuiusque hominis particularis esset maius malum existere, adhuc propter finem divinae misericordiae qua multos liberat a peccatis et adoptat in filios, vel propter alium finem bonum haberet coniugium et generatio quamvis ex illis sequatur per accidens originale peccatum.

3<sup>o</sup> obiicitur, quoniam leprosis consulitur ut ab usu matrimonii abstineant ne filios leprosos generent; ergo a Deo non erat praeci-piendum matrimonium et illius usum sed potius oppositum consulendum ne filii generarentur infecti originali culpa. — RESPONDET D. Thomas in 2, d.32, q.2, a.2, argumento 3<sup>62</sup>: negando consequentiam, et rationem discriminis dicit esse quoniam lepra est corruptio alicuius boni quod ex principiis naturae sequitur et secundum legem ordinariam insanabilis est;

<sup>57</sup> CLEMENTE ALEJANDRINO, *Stromata*, l.3, c.XVIII. PG 8, 1211.

<sup>58</sup> AUGUSTÍN, 2 in *Iulianum*, c.7. PL 44,686..

<sup>59</sup> AMBROSIO, *Apologia Prophetarum David*. P.L.14,914.

<sup>60</sup> BUENAVENTURA, *In 2 Sententiarum*, d.30, a.1, q.2 ad 2. Quarachi 1885, p.720.

<sup>61</sup> *ATG 66* (2003), p.216.

<sup>62</sup> TOMÁS AQ., *In 2 Sententiarum*, d.32, q.2, a.2. Vivès 1883, t.8, p.438.



at vero originale peccatum remedium habet in promptu, et non excludit aliquod bonum quod ex principiis naturae sequeretur. —RESPONDEO 2<sup>o</sup>: si nullus hominum esset qui generationi vacaret nisi [f.517] leprosus, omnes homines tenerentur praecepto propagandi humanum genus ut modo tenentur, scilicet si deficient alii qui huic necessitati succurrant. Caeterum quoniam plerique hominum bona utuntur valetudine ideo laudabile consilium est leprosis castitatem servare non solum propter laudem castitatis sed quoniam in ordine ad communitatem universi melius est in res atque locum leprosi alium hominem sanum succedere quam leprosum. At vero peccato originali infectum est totum humanum genus ita ut nullus posit filios nisi peccato originali obnoxios generare. —RESPONDEO 3<sup>o</sup>: si solum attendas privatum bonum eorum hominum qui ex parente leproso existere possunt melius est illis generari leprosos quam non generari atque idem est de peccato originali.

OBIIICIES 4<sup>o</sup> quoniam aliqua saltem turpitudine erit in actu matrimonii propter adiunctam propagationem originalis peccati. —RESPONDEO concedendo consequentiam dummodo ratione huius turpitudinis non censeatur ille actus illicitus et peccatum, atque in hoc sensu D. Thomas, 4 Contra gentes, cap. 52 ad 8 et 11 rationem<sup>63</sup>, ait vitium esse in generatione seu in actu matrimonii, et haec turpitudine seu corruptio similis est illi quam in semine ante informationem esse diximus supra, sect.2, dubio 3<sup>64</sup>. —Nec alienum est a modo loquendi Sacrae Scripturae et Patrum aliquam turpitudinem et immunditiam tribuere officio matrimonii etiam quando recta intentione fit et culpa veniali vacat, nam Hieronymus, libro 1 Contra Iovinianum<sup>65</sup> immunditiam colligere ex illis verbis 1 Regum [1Sam 21,4] *si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus* et Apocalypsi 14 [4] *ii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati virgines enim sunt*, de quo fusius scribit Albertus, 2 p., q.109; Alexander, 2 p., q.122, mem.7, a.3, § 4; Bellarmino tomo 2, libro 2 de Matrimonio. cap. 5 ad 4<sup>66</sup>.

OBIIICIES 5, quoniam meritum Chrisiti Domini non solum gratiae quam in regeneratione accipimus sed etiam ipsius regenerationis et unionis cum Christo et illam nobis meruit; ergo Adami peccatum non

---

<sup>63</sup> TOMÁS AQ., *Contra Gentiles*, l.4, c.52. Ed.Vivès 174, t.12, p.556s.

<sup>64</sup> ATG 65 (2002) p.230.

<sup>65</sup> JERÓNIMO, *Adversus Iovinianum*, l.1.PL 23, 249, 281.

<sup>66</sup> ROBERTO BELARMINO, *De Sacramento Matrimonii*. c.4. Ed.Vivès 1873, t.5, p.48.

solum causa erit culpae quam in generatione contrahimus sed etiam causa erit generationis et unionis cum Adamo; consequentia probatur ex proportione quam Paulo auctore omnes Theologi constituunt inter Christum Dominum et Adamum. —RESPONDEO: haec una est ex illis rebus quibus gratia Christi Domini superabundavit magis quam culpa, et ratio discriminis est perfectio Christi Domini qui omnia mereri potest quae sub merito cadere possunt; deinde etiam consensus regenerationis cum effectu qui illam comitatur nam uterque bonus est; at vero generatio et peccatum quod illam committatur dissident quoniam generatio est bona, peccatum vero malum ac proinde ab eodem auctore esse nequeunt, de quo vide

Scotum in 3, d.19<sup>67</sup>.

6<sup>o</sup> OBIICIES: si generatione traduceretur peccatum non diceret Paulus ad Romanos 5 [12] *per unum hominem peccatum intravit in mundum sed per duos homines, generatio enim [f.517v] duos exigit.* —RESPONDEO: auctor Hypognosticom libro 2<sup>68</sup> ita dictum esse quia vir et uxor *iam non sunt duo sed una caro*, Mt [19,6], et alibi explicatum esse mulierem, scilicet Eccli 25 [24] *a muliere initium factum est peccati et per illam omnes moriuntur* — Anselmus, De Conceptu virginali cap.9<sup>69</sup> respondet nomine Adami foeminam intelligi quoniam ex eius costa educta est et quoniam ignobilior pars quandoque sub nobilioris nomine comprehenditur: sic in Gn 5 [2] dicitur: *masculum et foeminam fecit eos et vocavit nomen eorum Adam in die qua creati sunt.* —Verumtamen huius loci sensus est *vocavit nomen eorum homo*, quare utraque solutio nec satis solida videtur nec necessaria, cum Apostolus ibi non respexerit ad eos parentes qui requiruntur ut filius per generationem uniatur Adamo: sic enim ad infantes huius temporis per tot millia hominum peccatum intravit quatenus praecesere illorum progenitores sed respexit ad hominem quo peccante nos in eo peccavimus et qui proprie fuit prima causa nostri peccati, et hic homo unus tantum fuit, Adamus scilicet et non Eva, supra sec.3, dubio ultimo<sup>70</sup>.

7<sup>a</sup> OBIECTIO, quoniam originale peccatum non recipitur in corpore sed in anima rationali sed anima rationalis non producitur per generationem;

---

<sup>67</sup> J. DUNS SCOTO, *In librum tertium Sententiarum, d.19*. Ed.Vivès 1894, p.716.

<sup>68</sup> *Hypomnesticon contra pelagianos et coelestianos, l.2, c.3*. PL 45,1619.

<sup>69</sup> ANSELMO, *De conceptu virginali, c.8*. PL 158, 443.

<sup>70</sup> *ATG 66* (2003) p.193.

ergo non traducitur originale peccatum per generationem. —Huic satisfacimus supra sect.2, dubio 4, mem.3<sup>71</sup>.

### Dubitatur 5

#### Utrum et quomodo semem sit causa transmittendi originale peccatum

Hoc dubium alioqui difficile, breviter expeditur ex iis quae diximus supra, sect.2, dubio 2 et 3<sup>72</sup>, ex quibus constat quomodo infectio seminis nondum dispositi ultima dispositione ad unionem animae rationali causa sit peccati originalis quod idem de semine ultima dispositione affecto explicuimus in dubio 5 et 6<sup>73</sup> eiusdem sectionis quorum doctrinam si proximo praecepti dubio copulemus colliguntur tres propositiones: —1<sup>a</sup> est: semen sive ultima dispositione affecto sive ante illam, non est causa per se originalis peccati. —2<sup>a</sup>: semen est causa per accidens originalis peccati quatenus causat unionem animae cum materia ex qua unione per accidens resultat originale peccatum. —3<sup>a</sup> propositio: infectio seminis per se causa est originalis peccati modo explicato in questionibus supra citatis.

### Dubium 6

#### Utrum solo paterno genere traducatur originale peccatum

#### Membrum 1<sup>um</sup>:

#### Rationes dubitandi cum sententia Henrici

Videtur origo materna ex Adamo ducta aut requiri aut sufficere ut tra- [f.518] ducatur originale peccatum quia aliqui Patres ad utriusque parentis concupiscentiam ut ad causam referunt originale peccatum prolis, ut Ambrosius, libro De Sacramento regenerationis et Chrysostomus apud Augustinum, libro 2 In Iulianum columna 1<sup>a</sup> et 6<sup>a</sup><sup>74</sup>. Sed hoc manifestius significat Cyrillus Alexandrinus, libro 12 in Leviticum col.3<sup>75</sup> dicens *puerum offerri ad altare ut ibi purificetur*

<sup>71</sup> ATG 65 (2002) p.243.

<sup>72</sup> ATG 65 (2002) p.227.

<sup>73</sup> ATG 65 (2002) p. 249, 261.

<sup>74</sup> AUGUSTINO, 2 in Iulianum. PL 44,674,698.

<sup>75</sup> CIRILO DE ALEJANDRÍA, In Leviticum l.12. Paris 1573, col.140s.

*tanquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione scilicet paterni seminis vel uteri materni* (observa copulam disiunctivam) et postea ostendens Christum Dominum ex vi conceptionis immunem fuisse a peccato originali probat prius purificationem matris deinde ostendit nihil potuisse contrahi ex patre quem ut homo non habuit.

Insuper Anselmus, De conceptu virginali, cap.8, supponere videtur ex solo materno semine originale peccatum contrahi posse, quod in sequenti cap.9<sup>76</sup> clarius innuit dum inde probat non esse necessarium ut sola Eva peccante omnes homines contraherent originale peccatum quoniam poterat Deus aliam creare mulierem ex qua Adamus susciperet filios iustitia originali praeditos; itaque sentiri videtur quod si Adamus in gratia permanens filios susciperet ex Eva peccatrice Evae peccatum transiret ad filios.

Sed cum Anselmus cap. 11, 12 et 13<sup>77</sup>, suam mentem explicuerit manifeste ut membro sequenti dicemus, inde colligere possumus intellectum aliorum capitum et Cirili et si quis alius ita loquitur ut scilicet utero aut semini materno tribuarur pollutio et virtus causandi originale peccatum quatenus ad naturalem generationem ex virili semine materiam praeparat non vero quoniam requiratur aut sufficiat matrem peccavisse aut contraxisse originale peccatum ut illud generatione transmittat.

Henricus, quodlibeto 1, q.21<sup>78</sup> existimat ut infans contrahat originale peccatum satis esse si constet ex aliqua parte materiae desumpta ex Adami progenie et non prius purgata a morbida qualitate quam habet, unde colligit Henricus infectum fore originali peccato quicumque naturaliter generaretur ex foemina filia Adami et patre a Deo creato in originali iustitia et qui supernaturali modo formaretur ex foemina filia Adami, scilicet ex quacumque parte corporis ex Adamo procrearetur. Haec sententia falso adscribitur Aloisio, de cuius mente vide sect. 1<sup>am</sup>, dub.18, mem.3, n° 5<sup>79</sup>.

Praecipuum fundamentum Henrici est altera illius sententia quam

---

<sup>76</sup> ANSELMO, *De conceptu virginali*, c.9. PL 158, 443.

<sup>77</sup> IDEM *Ibidem*, c.11ss.PL 158,445ss.

<sup>78</sup> ENRIQUE DE GANTE, *Quodlibetum primum,q.XXI*. Ed.1518, facsimil Lovaina 1961, fol.XXv

<sup>79</sup> *ATG 65* (2002) p.197.

retulimus sect.1, dub.18, initio<sup>80</sup>, scilicet in omni corpore filiorum Adami inesse morbidam quandam qualitatem a qua resultat morbida qualitas in rationalem animam quae corpori unitur et hanc qualitatem animae esse peccatum originale. Rursus qualitatem morbidam corporis esse in quacumque parte humani corporis sive virilis sive foeminei, quare quaecumque [f.518v] anima illi uniatur sive per generationem sive per miraculosam formalitatem sive quocumque alio modo contrahet originale peccatum. —Confirmat exemplo leprae quae si carni inest inficiet quemcumque hominem quomodocumque ex illa carne formatum nisi caro prius a lepra mundata fuerit.

Nos ulterius secundum communem et veram sententiam possumus idem argumentum ita instituere: peccatum originale ex carne transit in animam rationalem et anima rationalis ex se et sua origine nihil mali contrahit, supra sec.2, dubio 4 et 5<sup>81</sup>; sed quaecumque pars carnis sive viri sive foeminae infecta est corruptione originalis peccati; ergo homo formatus quomodocumque ex quacumque parte humanae carnis propagatae ex Adamo contrahet originale peccatum.

Arguit 2<sup>o</sup> Henricus quoniam peccatum originale necessario consequitur naturam humanam quae continebatur in Adamo ; sed natura humana cuiusque hominis qui formaretur ex carne filiorum Adami continebatur in Adamo; ergo ex illo necessario sequitur peccatum originale. —CONFIRMATUR quoniam parentes nihil possunt libera voluntate mutare circa traductionem originalis peccati; sed quicumque ad alium transmittit naturam humanam transmittit et peccatum originale.

## Membrum 2

### Decisio quaestionis

Certa conclusio est sola paterna generatione traduci originale peccatum ac proinde liber esset ab originali culpa quicumque vel sine patre a Deo formatus vel natus ex patre qui non esset ex genere Adami. Ita docent Doctores quando rationem reddunt ob quam Christus Dominus liber fuerit ab originali culpa ex vi generationis ita ut quamvis Deus non esset, ille modus generandi sufficeret ut non contraheret originale peccatum. Ita D. Augustinus, 10 Super Genesi ad litteram cap. 19 et 20<sup>82</sup>,

---

<sup>80</sup> ATG 65 (2002) p.187.

<sup>81</sup> ATG 65 (2002) p.238.

<sup>82</sup> AGUSTÍN, *De Genesi ad litteram*, l.10, c.25s. PL 34,423.

et in Enchiridion cap.4, et libro 5 In Num, c.9, quod fusius explicat Anselmus, De Conceptu Virginali, c.12, 14, 16 et 20<sup>83</sup>, et libro 2 Cur Deus Homo, c.16<sup>84</sup>. —Hanc conclusionem intendunt Patres qui dicunt Christum Dominum propterea non contraxisse originale peccatum quoniam ex virgine natus est, id est quoniam patrem non habuit a quo peccatum acciperet. Ita loquitur Ambrosius, De Noe et arca, quem sequitur Augustinus, libro 3 Contra Iulianum, col.2. — Et qui dicunt propterea liberum fuisse Christum Dominum ab originali culpa quoniam non interveniente carnis concupiscentia ortus est ex Adamo, ut D. Gregorius, libro 11 In Iob, fine<sup>85</sup>, et Doctores citandi dubio 7, numero 6. — E contra vero non posse abesse originale peccatum ubi libido adest Bernardus asserit in epistula ad Lugdunenses, quem sequuntur communiter scholastici, infra dubio 7, n<sup>o</sup>7, quibus testimoniis non aliam libidinem quam virile [f.519] semen carens originali iustitia intelligendam esse ostendemus ibi. —Quapropter in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus c.26, quem refert Magister, 2, d.30, § *Sed quod*<sup>86</sup> ita praescribitur: *firmissime tene omnem hominem qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum originali peccato nasci*

Conclusionem expresse docet D. Thomas, hac q.81, a.4<sup>87</sup>, ubi Conradus, Caietanus<sup>88</sup> et reliqui expositores, et 3 p., q.33, a.1 ad 2<sup>89</sup> communiter Doctores cum Magistro 3, d.3, § *Cum autem*<sup>90</sup>; Scotus, 2, d.32, circa 2 articulum et prope finem<sup>91</sup>; Capraeolus, 2, d.31, a.1, conclusione 3<sup>92</sup>, et a.3 ad argumenta contra 3<sup>am</sup> conclusionem<sup>93</sup>.

RATIONE probat D. Thomas quoniam quicumque non movetur ab Adamo per generationem non contrahit originale peccatum; sed quicumque non ducit ab Adamo genus paternum non movetur ab Adamo

<sup>83</sup> ANSELMO, *De conceptu virginali*. PL 158, 444-452.

<sup>84</sup> ANSELMO, *Cur Deus Homo*. L.2, c.16. PL 158,416.

<sup>85</sup> GREGORIO MAGNO, *Moralium in Iob* l.11. PL 75,986.

<sup>86</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2,d.30; ed Quarachi 1916, p.462s.

<sup>87</sup> THOMÁS AQ., 1 2, q.81, a.4 et ad 2. Ed.leon.7, 91s.

<sup>88</sup> Ed. leonina operum S.T. cum commentariis Card.Caietani, t.7, p.92.

<sup>89</sup> S.Thomas, 3 p, q.33, a.1 ad 2. Ed. leon. 11,341.

<sup>90</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 3, d.3, ed. Quarachi 1916, p.559.

<sup>91</sup> J.DUNS ESCOTO, *In Secundum Sententiarum*, d.32, ad 2. Ed. Vivès 1893, t.13, p.307.

<sup>92</sup> JUAN CAPREOLO, *Defensiones Theologiae*, dist.31, a.1, concl.3. Ed..Turonibus 1903, p.349.

<sup>93</sup> ID. *Ibid.*, a.3, ad arg. Contra 3 concl. .Ibid., p.355.

per generationem; ergo non contrahit originale peccatum. Maiorem probaverat D. Thomas in eadem q.81, a.1 et 3<sup>94</sup>, analogia qua saepe utitur in explicando originali peccato ad eum modum quo membra corporis contrahunt peccatum ex anima; sed membra non alia ratione participant culpam nisi quatenus ab anima moventur; ergo similiter posterius Adami non contrahunt originale peccatum nisi quatenus moventur ab Adamo. Minorem autem probat D. Thomas quoniam Adamus non movet filios nisi per virtutem activam in generatione, solus autem pater virtutem activam habet in generatione; ergo qui non ducit ab Adamo genus paternum non movetur ab Adamo per generationem.

Haec ratio videtur nullo solido fundamento niti, 1<sup>o</sup>, quoniam Maior falsa videtur, nam ut ab Adamo participet aliquis peccatum originale satis esset ab Adamo moveri recipiendo ab illo tanquam a capite privationem originalis iustitiae nec opus esset speciali motione per generationem.

CONFIRMATUR exemplo eiusdem D. Thomae, quoniam si anima per liberum decretum motu et visione privaret pedes et oculos quando moveri et videre debent hoc sufficeret ut pedes et oculi participarent ab anima peccatum et tunc ipsum quiescere et non agere esset moveri ab anima ad peccatum.

2<sup>o</sup>, quoniam falsa videtur Minor eiusdem argumenti nam mater effective concurrat ad disponendam materiam aptam generationi, quare saltem remote effective concurrat ad generationem, quod est citra controversiam, licet adhuc sub iudice sit quaestio utrum mater effective concurrat ad generationem.

3<sup>o</sup>, quoniam de potentia absoluta fieri posset ut quoad transmittendam iustificationem vel iustitiam caput esset Adamus etiam eorum hominum qui nullo modo ad stirpem Adami attinerent, de quo infra, mem.4. **[f.519v]**

Propter haec et similia argumenta dicendum est praedictam rationem D. Thomae non adduci ad probandum peccatum originale ex natura sua pendere ex paterno genere, adducitur autem illa ratio ut congruentia ob quam oportuit de facto ita institutum esse Adamum caput posteritatis ut solo paterna generatione transmitteret iustitiam atque peccatum quoniam ut pater multo plus activitatis habet ad producendum hominem quam

---

<sup>94</sup> THOMÁS AQ., 1 2, q.81, a.1; a.3. Ed. leon. 7, 88,90.

mater ita aptior est ut perfectiones aut defectus suorum similes transmittat ad filios aptiorque est ut dominus et caput filiorum constituatur.

Non dissimilis est alia congruentia quae desumitur ex Anselmo, De Conceptu virginali, cap.13<sup>95</sup>, quoniam quicumque homo paterna generatione non attineret ad Adamum ille immediate producendus esset a Deo sive per creationem sive desumpta materia ex foemina filia Adami, et tunc deceret eum hominem rectum et iustum produci quoniam immediate a Deo tanquam a causa particulari producitur sicut oportuit Adamum factum esse a Deo rectum et iustum. — Si autem ille homo nasceretur ex patre qui non esset filius Adami et ex matre quae esset filia Adami congruentius esset ut a patre acciperet naturam integram quam ut a matre acciperet peccatum, quoniam ad patrem perfectiori modo attineret quam ad matrem.

3°. Cum libera voluntas Dei potuisset sic vel aliter instituere pactum, et ea voluntas in Sacra Scriptura non fuerit expresse revelata, utimur alia coniectura, quia ad Christi Domini dignitatem conveniens erat eiusmodi conceptio quae ex suo modo libera esset ab originali culpa etiam praecissa divinitate; ergo universaliter conceptio quae ex Adamo non patrem sed tantum matrem accipit non est obnoxia culpae originali.

### Membrum 3

#### Sigillatim explicantur quae

#### in praecedenti conclusione virtute continentur

1<sup>um</sup> sequitur decisio illius quaestionis, utrum originale peccatum contrahant filii quos foeminae quandoque suscipiente ex demonibus incubis. — De sucubis non est difficultas cum subeant vicem foeminae quae nihil refert ad impediendam vel causandam traductionem originalis peccati.

Et quidem in sententia quae asserit a demonibus vere genitos esse filios quos Sacra Scriptura. Gn 6 [4], gigantes appellat consequens esset ut parvuli nascerentur liberi ab originali culpa quoniam paterno genere non pertinent ad Adamum; illam autem sententiam docere videntur Tertulianus, Lactantius, Justinus martyr, Methodius, Eusebius,

---

<sup>95</sup> ANSELMO, *De conceptu virginali*, c.13. PL 158,447.



Ambrosius, Cyprianus, Philoiudaeus, et clarius Josephus et Burgensis, quorum testimonia sigillatim expendit Molina, 1 p., q.50, a.1<sup>96</sup>, cui et Zumel, 1 p., q.51, a.1, relinquo illius impugnationem. [f.520]

Dicendum est non posse sine periculo dubitari quin homines quos foeminae suscipere ex daemonibus incubis contrahant originale peccatum.

PROBATUR 1° a priori, quoniam ibi vere non nascuntur ex daemone ut ex patre sed ex aliquo viro filio Adami cuius semen maxima velocitate daemonis arte transmittitur ad mulierem distantem ut, ex D. Augustino, 15 De Civitate, cap. 23<sup>97</sup> et 3 libro De Trinitate, docet D. Thomas, 1 p., q.81, a.3 ad 6. - Et ratio est quoniam daemones non habent vim nutritivam et generativam cum spirituales sint, et licet haberent, vis generativa illorum esset diversae speciei nec posset producere humanum semen et praeterea daemonum ars qua applicando activa pasivis res plurimas efficiunt non possunt pertingere ad producendam summam perfectionem quae est in semine humano nisi concurrente virtute generativa hominis.

Idem firmiter PROBATUR ab inconvenientibus: 1° quoniam si filius ex daemone incubo susceptus liber esset ab originali peccato, etiam eius posterius omnes liberi essent; quare, 2°, concedendum foret aliquam maximam multitudinem hominum nobis ignotam existere quae ante usum rationis non sit inimica Dei nec indigeat redemptione Christi Domini, quoniam non tenetur sub potestate diaboli. 3°, eadem multitudo non indigeret baptismo ut abluerent sordes sed tantummodo ut elevarerent ad gratiam. 4° oporteret huiusmodi parvulis sine baptismo decedentibus assignare locum separatum a limbo et naturalem beatitudinem et a fortiori tribuenda esset adultis qui sine peccato mortali et sine baptismo e vita migrarent. 5°, illa universalis propositio Pauli *omnes in Adam peccaverunt* [Ro 3,23] et multae aliae quae ex illa sequuntur non comprehenderent magnam turbam eorum hominum qui paterno genere non ab Adamo sed a daemone orti fuissent quamvis intercedente multiplici maiorum generatione.

2° SEQUITUR immunem fore ab originali culpa hominem si nasceretur ex patre urso aut alio bruto animante et ex muliere filia Adami. Verum

---

<sup>96</sup> LUIS DE MOLINA, *In primam D.Thomae partem*, q.50, a.1, Cuenca 1592, col.1573-1577.

<sup>97</sup> AGUSTÍN, *De Civitate*, l.15, c.23. PL 41,468.

haec consequutio et quae illam comittantur absurda numerata in corollario praecedenti probant efficaciter periculum afferre et Theologiae fabulas eorum qui narrant ex urso patre mulierem peperisse filios feroces sed rationis capaces et vere homines ut Berecorius in Reductorio morali, libro 14 de monstrorum mirabilibus cap.74. CONFIRMATUR quoniam si aliquod brutum haberet perfectionem sufficientem ut tanquam pater generaret hominem facile potuisset daemon illius bruti semen transmittre in mulierem quo generaretur homo, quare de quolibet filio suscepto ex daemone incubo dubitari posset merito utrum contraxisset originale peccatum et indigeret redemptione et baptismo contra ea quae n<sup>o</sup>. 1 diximus. [f.520v]

Atque illae fabulae non solum cum solida theologia sed etiam philosophia et experientia pugnant: —1<sup>o</sup>, quoniam pater in generatione est perfectior causa quam mater, quare si vir desit, deest maximum requisitum ad generationem hominis et eius loco substituitur brutum quod habet vim et dispositiones dissimiles et imperfectiores quae non possunt pervenire ad effectum adeo distantem. —2<sup>o</sup>, quoniam experientia constat ex animalibus diversae speciei oriri foetum tertiae speciei diversae a patre et matre et, quod ad homines attingit Plinius, libro 7, cap.2<sup>98</sup> prope finem ait indorum quosdam cum feris coire mixtos qui semiferos esse partus ut ille Ipocentaurus quem in sequenti cap.3 memorat mixtus erat ex homine et equo. —Sed notandum est in his monstris nihil esse animae rationalis et spiritualis sed tantum exteriorem figuram corporis esse humanae similem. Denique potuit his fabulis initium praebere illusio daemonis incubi sub specie bruti vel ad praesentiam realem bruti afferentis humanum semen. —3<sup>o</sup>, sequitur obnoxium fore originali peccato hominem qui ex equa vel ex alia foemina brutorum nasceretur sed paternum genus duceret ex Adamo. Belcodius supra citatus refert puerum natum fuisse ex equa, quod tamen fabulosum et impossibile esse persuadet tum maxima perfectio requisita in dispositionibus hominis quas non fovere sed impedire potius poterit brutorum uterus tum etiam quoniam ut dixi ex duplici specie animalium tertia diversa nascitur.

4<sup>o</sup>, ex posteris Adami quicumque vir susciperet filios ex muliere a Deo creata in iustitia originali vel alterius generis ab Adamo diversi,

---

<sup>98</sup> C. PLINIO SECUNDO, *Historiae mundi libri XXXVII*, l.7, c.2s. Basilea 1554, p.107.

transmitteret ad filios peccatum originale. —E contra mulier ex genere Adami non transmitteret originalem culpam ad liberos quorum pater non duceret genus paternum ab Adamo. —Unde colligo ut originale peccatum transmittatur ad filios opus esse genus paternum perpetua et recta linea viri descendere ab Adamo ita ut avus, preavus, atavus et reliqui omnes maiores usque ad Adamum non ex alio viro quam ex Adamo et filiis eius nati fuerint. Consonant quae diximus sect.3, dubio 7<sup>99</sup>.

5<sup>o</sup>, non contraheret originale peccatum qui produceretur a Deo ex paterno semine Adami sed sine foemina nec qui produceretur ex carne aut sanguine foeminae et simul ex paterno semine sed non modo naturali generationis sed supernaturali ita ut virtus generativa hominum non concurreret ad generationem. Ita sentire videtur Anselmus, De conceptu Virginali, cap.12 et 16<sup>100</sup>, universaliter affirmans Adamum non potuisse conservare nec amittere iustitiam nisi illis hominibus quorum generationis potestatem voluntati subditam accepit. CONFIRMATUR 1<sup>o</sup> quoniam quando ex semine et carne aut sanguine viri et foeminae formatur homo supernaturali virtute, iam Adamus non est causa efficiens illorum per generationem sed Deus [f.521] est causa efficiens, quare opus debet prodire sine defectu et macula ut dictum est membro precedenti, congruentia 2. —CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quoniam tunc eadem ratio est atque quando de digito aut costa aut altera parte hominis formatur a Deo homo qui non contrahit originale peccatum, ut expresse docet D. Thomas q.81, a.4 c, et a.5 c<sup>101</sup>, et De malo, q.4, a.7 c<sup>102</sup>.

6<sup>o</sup>. Si obiicias multos homines natos esse ex senibus aut sterilibus naturalibus ineptis ad generationem qui tamen contraxere originale peccatum, ut Isaac, Samuel et Ioannes Baptista; ergo quamvis supernaturali Dei virtute filius producat, si tamen ex foemina et viro nascitur contrahit originale peccatum. —RESPONDEO cum Anselmo, De conceptu virginali, cap.16<sup>103</sup>, in his et similibus exemplis, Dei supernaturali virtute restitutam esse parentibus senibus aut sterilibus virtutem generandi, qua virtute restituta naturaliter genuerunt, ut ille qui

---

<sup>99</sup> ATG 66 (2003) p.193.

<sup>100</sup> ANSELMO, *De conceptu virginali*, c.12. PL 158,447.

<sup>101</sup> TOMÁS AQ., 1 2, q.81, a.4 c; a.5 c. Ed.leon. 7,91s.

<sup>102</sup> TOMÁS AQ., *De malo*, q.4, a.7, c, ed. Leon. 23,124.

<sup>103</sup> ANSELMO CANTUARIENSE, *De Conceptu Virginali*, c.16, PL 158, 449.

caecus natus est naturaliter videbat postquam sibi supernaturaliter restituti sunt oculi, imo beneficium quod parentes petebant non acciperent nisi illi per virtutem generativam ad generationem concurrerent quoniam qui nasceretur non esset eorum vere filius sed a Deo miraculose formatus.

Sequitur Evam non contraxisse originale peccatum quamvis formata fuisset ex Adamo postquam peccavit Adamus et quamvis Eva numquam commisisset peccatum personale quoniam ille modus formandi Evam ex costa Adami supernaturalis erat ita ut immediata causa efficiens Evae Deus esset et non Adamus et ideo Adamus non poterat culpam transmittere. COLLIGITUR haec doctrina ex Anselmo , De Conceptu Virginali. Cap.11 fine et cap.12<sup>104</sup>. —Sed ut de facto Eva libera fuerit ab originali culpa alia praeterea ratio ostendit, quoniam formata fuit antequam peccaret Adamus et filii geniti ante peccatum Adami non contraherent culpam originalem, supra, sec.3, dubio 5<sup>105</sup>.

Quapropter non minus absurda quam singularis est sententia Catherini in opusculo De peccato originali versus finem §, vide et nono dicentis etiam si Eva non peccasset, peccante tamen viro contraxisset peccatum illud quoniam sic erat in pactis, imo de facto contraxit Eva peccatum Adami. — Duo sunt fundamenta Catherini: 1<sup>um</sup>, quoniam Eva ut una caro continebatur in viro de quo sumpta est. —RESPONDEO 1<sup>o</sup> non continebatur ut in causa efficiente, quod requiritur ad traductionem originalis peccati sed tantum continebatur ut in habente partem materiae. —RESPONDEO 2<sup>o</sup>, non continebatur quando Adamus peccavit sed antea, et hoc non sufficit.

2<sup>um</sup> fundamentum est quoniam Adamus etiam pro Eva accepit iustitiam originalem ita ut quamvis Eva peccaret si Adamus non peccaret retineret Eva iustitiam originalem [f.521v] amissa gratia. —Huius fundamenti falsitatem ostendimus supra, sec.2, dubio 2 ad 2<sup>106</sup>, quia potius Eva antequam Adamus peccaret simul cum gratia totam originalem iustitiam amisit.

---

<sup>104</sup> ANSELMO, *De conceptu virgineli*, c.11s.PL 158,445.

<sup>105</sup> ATG 66 (2003) p.179.

<sup>106</sup> ATG 65 (2002) p.229.

**Membrum 4****Utrum de potentia absoluta potuisset Adamus  
ita constitui caput, ut iustitiam vel peccatum transmitteret  
ad eos qui nec immediate nec mediate genuisset**

Negant aliqui recentiores in a.4, q.81, et in ea Zumel, a.1, disp.2, in dubio annexo dicto 4, aitque esse expressam Augustini sententiam. —Verum Augustinus non agit de potentia absoluta sed de facto et tantum asserit quod retulimus supra sect.3, dubio 5, in probatione conclusionis<sup>107</sup>.

Scotus 2, d.32<sup>108</sup>, paulo ante solutionem argumentorum videtur esse sententiae oppositae usque adeo ut si omnes homines simul immediate crearentur a Deo cum pacto ut Adamo servante iustitiam omnes certo tempore illam acciperent, et Adamo peccante amitterent: illi ex peccato Adami contraherent culpam naturae. —Et 1<sup>o</sup> manifestum est ethimologiam originalis peccati convenire non posse illi peccato quod non traduceretur generatione; quare de re tantum disputamus utrum posit traduci aliquod peccatum naturae seu communitatis non personali voluntate contractum sed communi quae esset voluntas capitis.

2<sup>o</sup>. Suppono me non disputare de hominibus iam existentibus et ratione utentibus quando caput peccat: iis enim non posse de potentia absoluta communicari peccatum capitis etiam si a capite genus ducant, probatum est supra, sect.3, dubio 5, praesertim dicto 2, 3, et 4<sup>109</sup>, et quantum ad hoc sensit Zumel probabilius quam Scotus. In praesenti ergo disputo de peccato nomine aliorum hominum committendo antequam alii homines existant vel antequam ratione utantur.

DICO igitur rem esse valde ambigam sed paulo probabilius videri possibilitatem ita ut Adamus institueretur caput iustitiae vel peccati transmittendi ad eos qui nec mediate nec immediate genuisset. —PROBATUR quoniam quamvis unio per generationem sit ratio congruentiae ob quam expediat magis in Adamum conferri omnium filiorum voluntates verum propter supremum dominium Dei videtur probabilius similem potestatem conferri posse etiam respectu eorum quos non genuisset Adamus ita ut conservatio et amissio iustitiae censeretur volita a subditis si volita esset a capite. —CONFIRMATUR

---

<sup>107</sup> *ATG 66* (2003) p. 182.

<sup>108</sup> DUNS SCOTUS, 2, d.32, Paris 1893, t.13, p.314.

<sup>109</sup> *ATG 66* (2003) p.184.

quoniam nulla ratio sufficienter probat huius pacti implicationem ut constat ex solutione argumentorum.

1<sup>um</sup> argumentum est quoniam ut aliquis contrahat peccatum ab Adamo debet ab illo moveri tanquam membrum a capite; sed haec motio non est nisi per generationem; ergo .

RESPONDEO: membro 2 ostendimus hanc rationem nihil probare de potentia absoluta. [f.522]

2<sup>um</sup> argumentum est quia deficiente generatione nulla est actio qua peccatum communitatis transmittatur in singulos homines.

RESPONDEO non opus esse actione reali; satis est actio secundum rationem qua privatio iustitiae et gratiae in hac persona intelligitur esse propter transgressionem capitis huic personae imputabilem ut parti communitatis.

3<sup>o</sup>, quia persona quae originem non duxerit ab Adamo non est aliquid Adami; ergo non censetur in Adamo existere aliquo modo; ergo nec in illo peccare ac proinde nec culpam ab illo contrahere.

RESPONDEO: persona quae non duxerit originem ex Adamo erit in Adamo non ratione potentiae generativae sed ratione potestatis capitis quae sola sufficit ut aliquis in alio peccare censeatur.

Ultimum argumentum: quoniam pactum illud iniuriam irrogavit iis qui non sunt ex semine Adami. —

RESPONDEO : cum illud pactum non sit de amittenda aliqua entitate reali hominibus naturaliter debita sed de solo dono supernaturali et maior sit spes emolumenti quam periculum detrimenti, ut sect.1, dubio 2<sup>110</sup> diximus de pacto quod initum fuit cum Adamo, non video quam rationem iniuriae contineat illud pactum, imo ex se et absolute utile est et optabile partibus communitatis.

Sunt autem varii probabilitatis gradus in nostra sententia quos numerabimus a maiori ad minorem probabilitatem ducta ratione:

1<sup>o</sup> igitur, pactum cum Adamo ita de potentia absoluta iniuri potuit ut maternum genus sufficeret ad transmittendam iustitiam vel culpam.

2<sup>o</sup>, ut sufficeret ex qualibet parte humani corporis formari, ut Eva ex Adamo formata fuit.

3<sup>o</sup> ut contraherent peccatum homines qui nec ratione generationis nec formationis supernaturalis aliquid carnis accepissent ex posteritate

---

<sup>110</sup> ATG 63 (2000) p.226.

Adami. Verumtamen non existeret nec in se ipsis nec in aliquo progenitore quando peccavit Adamus.

4<sup>o</sup>, ut quamvis existeret in aliquo suo progenitore prorsus alieno ab stirpe Adami peccarent in Adamo.

5<sup>o</sup>, ut quamvis existerent in seipsis formaliter sed ante usum rationis ut infantes.

6<sup>o</sup>, ut etiam angeli antequam existerent, in Adamo peccarent et inde contraherent carentiam iustitiae imputabilem in capite, quod est infimae probabilitatis.

### Membrum 5

#### Ad argumenta Henrici proposita membro 1<sup>o</sup>

Ad 1<sup>um</sup> RESPONDEO in carne humana nullam realem qualitatem morbidam esse demonstravimus sectione 1<sup>a</sup>, dubio 18<sup>111</sup>; infectio autem quae in carne est, a qua originale peccatum transit in animam, est ens rationis et illud non est nisi in carne quae per naturalem generationem paterni generis quae ex Adamo unitur animae rationali quoniam haec caro et non alia affert eam unionem cum Adamo quam pactum de facto initum requirit ut transmittatur originale peccatum. Quare postremi sillogismi neganda est minor. [f.522v]

Ad 2 RESPONDEO distinguendo maiorem sic: peccatum originale necessario consequitur naturam humanam quae continebatur in Adamo ratione paterni generis non vero eam quae continebatur ratione solius materni generis. Hoc ipsum aliis verbis dixit Augustinus, 10 Super Genesim ad litteram cap. 19 et 20<sup>112</sup>, et cum eo Magister, D.Thomas et communiter Doctores citati membro 3: esse in Adamo, secundum seminalem rationem, id est secundum praecipuam vim activam generationis quae est in paterno semine aut esse secundum corpulentam substantiam quam scilicet mater ministrat atque disponit nihil aut parum immediate efficiens circa generationem sed tantum mediate praeparando materiam quomodo dicitur Christus Dominus fuisse in Adamo non secundum rationem seminalem sed tantum secundum corpulentam substantiam, et propterea nec in Adamo peccavisse nec in Abrahamo decimatus fuisse. Vide D. Thoma a.4 c et ad 2<sup>113</sup>, et Conradus ibi,

---

<sup>111</sup> ATG 65 (2002) p.187.

<sup>112</sup> AGUSTÍN, *De Genesi ad litteram*, 1.10, c.19s. PL 34,423.

<sup>113</sup> TOMÁS AQ., *1 2*, q.81. Ed leon.7,91.

notabili 2. —Explicatio Augustini quam Henricus citatus affert impugnatione non eget sed attentata lectione textus.

**Dubitatur 7°**  
**Utrum libido generantis potius quam generatio**  
**sit conditio per quam peccatum originale traducitur**

Affirmativa pars probari potest :

1° ex Augustino qui quandoque concupiscentiam quandoque vero libidinem dicit esse rationem traducendi originale peccatum, ut 1° De nuptiis et concupiscentia cap.23, et magis ex professo cap.24 et 25<sup>114</sup>, et libro 2 In Iulianum folio ultimo et 5 In Iulianum cap.9<sup>115</sup>.

2° arguitur quoniam libro 6 In Iulianum cap.7<sup>116</sup> ait malum affectum concupiscentiae contagione transire ad filios, ut de morbidis parentibus morbida qualitas generatur, et cap.8 initio: Hoc autem a diabolo inflictum vulnus quidquid per illud nascitur cogit esse sub diabolo tanquam de suo fructice fructum iure decerpat.

3° praeterea libro 2 De peccatorum meritis et remissione, cap.8 a medio<sup>117</sup> rationem reddit ob quam baptizatis et iustis parentibus filius nascatur obstrictus originali peccato quoniam inquit nascitur ex illa manente concupiscentiae vetustate. Vide cap.19.

4° Hanc sententiam hausisse videtur Augustinus ex Ambrosio, De sacramento regenerationis et libro De paradyso cap.3, cuius verba refert Augustinus libro 2 In Iulianum, col. 10 et 11<sup>118</sup>, ait enim unumquemque concupiscentiae voluptate concretum contrahere originale peccatum et Adamum fructu castitatis debuisse lumbos succingere potius quam inutilibus foliis quibus futurae posteritatis peccata designabant.

5°. Post Augustinum plerique alii Doctores asserunt concupiscentiam esse rationem traducendi originale peccatum, ut Fulgentius, De fide ad Petrum, cap.2; D. Gregorius, libro 11 Moralium in Iob, fine<sup>119</sup>, in id *quis*

<sup>114</sup> AGUSTÍN, *De nuptiis et concupiscentia*. L.1, c.23,24,25. PL 44,428s.

<sup>115</sup> AGUSTÍN, 5 *Contra Iulianum*. PL 44,787.

<sup>116</sup> AGUSTÍN, 6 *Contra Iulianum*. PL 44,832.

<sup>117</sup> AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, l.2. PL 44,156.

<sup>118</sup> AGUSTÍN, 2 *In Iulianum*, PL 44,685.

<sup>119</sup> GREGORIO MAGNO, *Moralium in Iob*, l.11. PL 75,985.



*potest facere mundum de immundo conceptum semine*; Hugo, tomo 3 De sacramento fidei, lib.1, p.7, cap.24<sup>120</sup>, quamvis minus aperte, et Glossa ad Romanos 4 verbo *ini-[f.523]-quitates*.

6° Christus Dominus non fuit decimatus in lumbis Abrahae nec in Adamo peccavit quamvis ex carne Adami et Abrahami conceptus fuerit, cuius rationem Doctores assignant quoniam non secundum concupiscentiam carnis ab illis parentibus descendit. Ita Augustinus De Genesi ad litteram cap.24<sup>121</sup>, et 2 De peccatorum meritis cap.25<sup>122</sup>; Gregorius, 14 expositionis moralis in Iob, fine<sup>123</sup>; Anselmus, De Conceptu virginali, cap.14 et 15<sup>124</sup>; Magister, 3, d.3, § *Cum autem*<sup>125</sup> et 2, d.31, § *Est enim*<sup>126</sup>; Altissiodorensis, libro 2, tract.27, cap.1; Alexander, 2 p., q.132, mem.4 et mem.1 prope finem.

7. Beatissimam Virginem non potuisse ante conceptionem sanctificari in parentibus quoniam illi cum concupiscentia et libidine genuerunt et non potest abesse originale peccatum ubi libido causa est, docet D. Bernardus in epistula ad Lugdunenses, quem sequuntur plerique scholasticorum ut Alexander, 3 p., tr.9, mem.2, a.1 et 2; D. Bonaventura, 3, d.3, a.1, q.1<sup>127</sup>; D. Thomas eadem d.3, q.1, a.1 in *Sed contra*<sup>128</sup>, idemque supponit in 3p., q.27, a.3<sup>129</sup>, et consonat in q.4 De malo a.2 ad 11 dicens concupiscentia quae est in patre ponitur esse causa originalis peccati quod est in filio. — Similia docet Ricardus 2, d.3, a.2, .2 et d.32, a., q.1.

8. Ex mente Gregorii citati et aliorum cum Magistro, ex concupiscentia parentum provenit infectio seminis a qua maculatur anima quae postea carni unitur. — Omittimus Gregorium Ariminensem et eius sectatores qui libidinem parentum existimant esse qualitatem morbidam quae similem aliam qualitatem in prole producit, quos impugnavimus supra sect.1,

<sup>120</sup> HUGO DE S. VICTOR, *De Sacramentis Fidei*, 1.1, p.7, c.24. PL 176,297.

<sup>121</sup> AGUSTÍN, *De Genesi ad litteram*. PL34,423.

<sup>122</sup> AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, 1.2, c.24. PL 44,174.

<sup>123</sup> GREGORIO MAGNO, *Moralium in Iob*, 1.11. PL,986.

<sup>124</sup> ANSELMO, *De conceptu virgineli*, c.14s. PL 158,448.

<sup>125</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 3, d.3; ed. Quarachi 1916, p.559.

<sup>126</sup> IDEM, *Ibidem*, 2, d.31. *Ibidem*, p.469.

<sup>127</sup> BUENAVENTURA, *In 3 Sententiarum*, d.3, a.1, q.1. Ed Quarachi 1885, p.61.

<sup>128</sup> TOMÁS AQ., *In Tertium l. Sententiarum*, d.3, a.1 Ed.Vivès 1872, t.9, p.49.

<sup>129</sup> TOMÁS AQ., *Summa*, 3 p., q.27, a.3. Ed.Vivès 1872, t.5, p.104.

dubio 18<sup>130</sup>.

Praemitto certum esse et sine controversia, non sufficere concupiscentiam ut traducatur originale peccatum nisi supponatur Adami inoboedientia et generari filium ex illius stirpe, quoniam et vir et foemina crearentur sine iustitia et sine peccato originali illi naturaliter generarent cum libidine et concupiscentia et tamen non transmitterent ad filios originalem culpam quoniam nullus contraheret originale peccatum nisi ex Adami semine nasceretur, ut constat ex Patribus citatis in sect.1, dubio12<sup>131</sup> et expresse docet Tridentinus, sess.6, cap.3<sup>132</sup>. — Quaestio igitur est utrum in eos qui ex Adami semine generantur ut traducatur originale peccatum requiratur libido et concupiscentia parentum.

1<sup>a</sup> CONCLUSIO: libido actualis quae generationem comitatur non est ratio aut conditio traducendi originale peccatum, imo quamvis parentes divina providentia preservarentur non solum ab omni consensu voluntatis in delectationem sed etiam ab omni sensu delectationis carnalis, nihilominus filius generatus ex congressu viri et foeminae contraheret originale peccatum. Ita D. Thomas, q.82, a.4 ad 3<sup>133</sup>, ubi Conradus expresse et Caietanus tacite, D. Bonaventura 2, d.31, a.2, q.3<sup>134</sup>; Guillelmus Parisiensis tomo 1 tractatu De vitiis et peccatis, cap.5, col.4; [523v] Altisiodorensis, libro 2, tract.27, cap.3; Henricus quodlibeto 1, q.21; Scotus 2, d.32 prope finem<sup>135</sup>; Ricardus 2, d.21, a.2, q.2; Soto 1 De natura et gratia, cap.9 fine<sup>136</sup>; Bellarminus tomo 3 De amissione gratiae, libro 4, cap.12 a § Porro<sup>137</sup>; Suarez 3 p., q.27, in commentario ad 1<sup>um</sup> articulum<sup>138</sup>.

PROBATUR 1<sup>o</sup> quoniam omnes qui ex Adamo per naturalem generationem descendunt peccaverunt in Adamo et ab illo contrahunt

<sup>130</sup> ATG 65 (2002) p.187.

<sup>131</sup> ATG 64 (2001) p.278.

<sup>132</sup> Dz 795.

<sup>133</sup> TOMÁS AQ, *Summa*, 1 2, q.83, a.44 ad 3. Ed leon. 7,99.

<sup>134</sup> BUENAVENTURA, *In 2 Sententiarum*, d.31, a.2, q.3. Quarachi 1885, p.753.

<sup>135</sup> J.DUNS SCOTO, *In secundum Sententiarum*, q.32. Ed.Vivès 1893, t.13, p.320.

<sup>136</sup> DOMINGO SOTO, *De natura et gratia*, libro 1, c.9. Ed.Salamanca 1554, p.31.

<sup>137</sup> ROBERTO BELARMINO, *L.4 De amissione gratiae*, c.12. Ed,Vivès 1873, t.5, p.370.

<sup>138</sup> FRANCISCO SUÁREZ, 3 p.,q.27, a.1. Ed. Vivès 1860, t.19, (De mysteriis vitae Christi) p.24.

originalem culpam, ut fides docet, supra sect.1, dubio 1<sup>139</sup>, et infra dub.8, sed ille qui ex viro et foemina genitus esset sine ulla inordinata volitione et sine ullo sensu delectationis nihilominus filius esset naturaliter Adami et in eius potestate contentus quando peccaavit; ergo contraheret originale peccatum. —CONFIRMATUR quoniam libido actualis nihil refert ut filius fuerit in lumbis Adami sed tantum generatio.

PROBATUR 2<sup>o</sup>, quoniam libido actualis est personale vitium aut peccatum parentum quare hoc vitio vacare erit perfectio personalis sed peccatum originale filiorum non impeditur sanctitate aut perfectione parentum personali, ut docemus dubio 8; ergo parentes transmittent originale peccatum quamvis sine ullo libidinis vitio generent.

2<sup>a</sup> CONCLUSIO: ratio traducendi originale peccatum est in parentibus concupiscentia potentialis seu carentia originalis iustitiae perfecte cohibentis potentias hominis ab omni actione inordinata. Hanc conclusionem expresse docent D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus et Conradus citati pro 1<sup>a</sup> conclusione et Marsilius 2, q.19, a.2, concl.2 ad 5; et existimant hanc esse mentem Augustini et aliorum Patrum quos retulimus in principio quaestionis.

PROBATUR quoniam concupiscentia est ratio traducendi originale peccatum, ut Patres citati pronuntiant et non est ratio traducendi concupiscentia actualis ut probatum est in conclusione 1; ergo ratio traducendi est concupiscentia habitualis. —CONFIRMATUR quoniam parvuli nascuntur obstricti originali peccato cuius pars materialis est concupiscentia et tamen in illis non est concupiscentia actualis sed tantum potentialis, ut notavit Hugo de Sto. Victore libro 1 De Sacramentis fidei p.7, cap.3 fine; ergo nec in parentibus requiritur concupiscentia actualis. —PROBATUR consequentia quoniam in parentibus non requiritur infectio alterius generis ab eo genere infectionis quod transmittitur ad filios.

Ut conclusionem explicem OBIIICIO quoniam sublata concupiscentia non solum actuali sed etiam potenciali sive habituali, et manente sola generatione ex paterno genere Adami, transfunditur originale peccatum; ergo concupiscentia potentialis sive habitualis nihil refert ad traductionem originalis peccati. ANTECEDENS explicatur et probatur quoniam si aliquo singulari privilegio tam in viro quam in foemina

---

<sup>139</sup> *ATG 63* (2000) p.203.

extinctus esset fomes et concupiscentia per qualitates inhaerentes quae prorsus subiicerent sensualitatem rationi et rationem Deo, ita ut ex vi illarum qualitatuum nullus posset insurgere inordinatus motus, perinde ut in statu innocentiae atque ut Beatae Virgini concedit probabilior sententia, si illi homines geniti fuissent naturaliter ex stirpe Adami et naturaliter generarent sed sine [f.524] ullo libidinis sensu, ut foret generatio in statu innocentiae secundum probabiliorem sententiam, (de quo vide Abulensem, parado 1, cap.40 et 41, et Corduba, lib.1 quaest q.45) adhuc illi parentes susciperent filios peccato originali obstrictos quoniam vere generarent filios Adami paterno genere. —CONFIRMATUR quoniam alias concedendum esset aliquem hominem ex paterno et materno genere Adami nasci in puris naturalibus sine culpa originali et sine gratia supernaturali ex eo precise quod Deus parentibus prorsus extingueret fomitem peccati nullo alio privilegio gratiae concesso, hoc autem videtur esse contra legem illam universalem qua damnantur originalis peccati omnes qui ex paterno genere Adami nascuntur.

Huius argumenti solutionem duplicem colligere possumus ex duplici modo intelligendi concupiscentiam requisitam ut parentes originale peccatum transmittant.

1<sup>us</sup> modus dicendi concupiscentiam accipi ut communiter accipitur pro potentiis voluntatis et appetitus sensitivi ex se propensis ad multa obiecta ratione contraria et carentibus dono iustitiae, et asserit non fuisse traducendum originale peccatum a parentibus per generationem ex congressu viri et foeminae si eorum concupiscentia ita fuisset extincta per dona supernaturalia ut nec difficultatem boni nec propensionem deliberatam aut indeliberatam ad malum paterentur; ita sine dubio sensit D.Thomas, 3 p., q.27, a.3<sup>140</sup>, et Caietanus ibi, dum refutat opinionem 2<sup>am</sup> quam infra refellimus. Fundamentum esse potest quoniam ita sonant verba Augustini et aliorum Patrum quos in principio adduximus. Ad obiectionem propositam debet haec sententia respondere negando antecedens, et ad eius probationem ita distinguendo: illi qui ex viro et foemina nascuntur, ut de potentia ordinata et naturalibus legibus nascuntur infantes vel conveniente concupiscentia et libidine saltem potenciali, contrahunt originale peccatum; aliorum autem conceptio, ut privilegio singulari immunis est a concupiscentia habituali, ita et a

---

<sup>140</sup> TOMÁS AQ., 3 p., q.27, a.3. Ed.leon. 11,292.

traductione originalis peccati. —Praeterea secundum hanc sententiam dicendum est ex vi pacti de facto initi Adamum non fuisse caput nisi eorum filiorum ad quorum generationem invitare potuisset libido propter potentialem concupiscentiam, aliorum autem non fuisse caput quamvis de potentia absoluta esse potuisset quoniam dignitas illa conceptionis exigebat exemptionem a peccato, quare congruum erat ut peccatum non transmitteretur nisi cum concupiscentia parentum.

2<sup>us</sup> modus dicendi est pactum de facto ita fuisse initum ut ex vi illius Adamus caput esset omnium qui ab eo paterno genere ortum ducerent quamvis in parentibus carnalis concupiscentia esset prorsus extincta quantum ad difficultatem boni et inclinationem ad malas actiones personae. —Sed quando argumentum urget: ergo tunc parentes [f.524v] sine ulla concupiscentia generarent filios obstrictos originali peccato, respondet distinguendo duplicem concupiscentiam aut fomitem, alter enim est personalis quae circa personae actiones affert difficultatem ad bonum et inclinationem ad malum, et haec concupiscentia quamvis de potentia ordinaria semper comitetur generationem, verum non est conditio ex vi pacti necessaria ut peccatum originale traducatur; altera concupiscentia est solius naturae quae nihil aliud est quam potentia generativa in quantum caret privilegio iustitiae originalis ratione cuius per generationem traducitur in posteros et in quantum potentia generativa propter carentiam praedicti privilegii habet adiunctam consequentem peccati originalis in prole, quae concupiscentia seu fomes peccati propterea dicitur esse naturae et non personae quoniam posteritatem inficit, sed ut sic non prorumpit in peccata personalia.

Haec sententia est Alexandri 3 p., q.9, memb.2, a.1 et 2, ubi inde probat Beatissimam Virginem non potuisse sanctificari ante conceptionem nec in conceptione ipsa ex vi modi concipiendi quoniam quantacumque sanctitate parentes Virginis mundarentur a fomite, illa sanctitas pertineret ad personam et superesset adhuc fomes peccati quantum ad naturam inficiendam originali peccato. Eadem sententia universaliter traditur a Soto, 1 De natura et gratia, cap.9 fine<sup>141</sup>; tribuitur Alberto in 3, d.3, q.6; eam sequitur Suarez in commentario ad a.3, q.27, 3 p., tom.2<sup>142</sup>. —In re non dissidet Scotus in 2, d.32 prope finem<sup>143</sup>

<sup>141</sup> DOMINGO DE SOTO, *De natura et gratia*, libro 1, c.9. Salamanca 1554, p.31.

<sup>142</sup> FRANCISCO SUÁREZ, 3 p., q.27, a.3. Ed. Vivès 1860, t.19, p.54.

<sup>143</sup> J. DUNS SCOTO, *In Secundum Sententiarum*, q.32. Ed. Vivès 1893, t.13, p.320.

explicans libidinem per quam traducitur originale peccatum esse carentiam iustitiae originalis in parentibus, quae carentia ab effectu libidinis nomen accepit; et Ricardus 2, d.31, a.2, q.2, dicens causam traducendi originale peccatum esse potentiae generativae infectionem non quantum ad immoderatam delectationem carnis sed praecisse quantum ad vim transmittendi semen infectum.

Haec sententia probabilior videtur quoniam non limitat generalem legem transmittendi originale peccatum paterno genere, quae lex, cum de fide sit praeponenda est doctrinae superius traditae a Doctoribus de concupiscentia requisita ad traductionem originalis peccati et temperandum est utrumque dogma ut quamvis utrumque verum sit nihilominus primum retineat suam integritatem et amplitudinem explicato et limitato dogmate de concupiscentia presertim cum non admodum violenter explicetur in hac sententia.

Sit igitur 3<sup>a</sup> CONCLUSIO: peccatum originale transmittendum esse a quibuscumque parentibus qui ex virili semine Adami geniti eodem modo generarentur quamvis acceperint quaecumque dona supernaturalia perfecte extinguentia fomitem [f. 525] si ea non acciperent cum lege transmittendi gratiam per generationem. Haec conclusio probata manet ex praecedente discursu.

Ex his colligitur explicatio eorum omnium quae in principio quaestionis attulimus, utrum peculiariter notare oportet circa id quod adduximus n<sup>o</sup> 6, Christum Dominum ex vi modi conceptionis, licet non esset Deus immunem fuisse ab originali peccato quoniam non fuit conceptus hac concupiscentia de qua loquimur, id est virili semine quod carens perfectione primi status vim habeat transmittendi in prolem privationem originalis iustitiae; et quod Augustinus ita intelligat illud discrimen inter Christum Dominum et omnes homines ob quod Christus Dominus decimatus non fuerit in Abrahamo nec in Adamo peccaverit manifestum est libro 10 De Genesi ad litteram cap.10<sup>144</sup>, et De peccatorum meritis et remissione, libro 2, cap.24<sup>145</sup>, ubi constituit discrimen inter humanitatem Christi Domini et nostram quod nos nascimur *ex voluntate carnis et voluntate viri* sed Christus Dominus in quantum homo quamvis ex carne et sanguine natus sit sed non ex voluntate carnis nec ex voluntate viri. — Tractat de hac re D. Thomas 3

---

<sup>144</sup> AGUSTÍN, *De Genesi ad litteram*. PL 34,423.

<sup>145</sup> AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, 1,2,c.24.PL 44,174.

p., q.31, a.8<sup>146</sup>, optime, et scholastici 3, d.3.

Praetera quod retulimus n° 7 ita intelligendum est ut de potentia absoluta B. Virgo potuerit sanctificari in parentibus ante conceptionem si gratia et iustitia conferretur parentibus cum potestate transmittendi illam ad filios, qualem potestatem habebat Adamus in statu innocentiae sed quoniam hoc repugnat statui naturae corruptae ideo Doctores dicunt B. Virginem non potuisse sanctificari ante conceptionem in parentibus nec in ipsa conceptione ex vi modi concipiendi praecisse.

Ad 8<sup>um</sup> et postremum argumentum de corruptione seminis proveniente ex concupiscentia parentum constat ex his quae diximus sect.2, dubio 3 et 5<sup>147</sup>.

## **Dubitatur 8**

### **Utrum originale peccatum a parentibus iustis in filios traducatur**

#### **Membrum 1<sup>um</sup>**

#### **Errores et rationes dubitandi**

1°. Pelagius, quem sequitur Julianus docuit fideles parentes non posse in filios traducere peccatum quod parentes minime habent, ut refert Augustinus, 6 In Julianum, cap.3<sup>148</sup>.

2°, iisdem filiis fidelibus non imputari peccatum originis sed sanctos esse et membra Ecclesiae et salvari si praedestinati sunt, etiam sine Baptismo; si vero non sint praedestinati, etiam cum Baptismo damnari sensit Buccerus. [f.525v]

3°. Calvinus omnes pueros qui ex fidelibus parentibus nascuntur sine Baptismo salvos facit.

4°. Bulingerus non solum eos qui nascuntur ex parentibus qui in tempore generationis fideles erant sed etiam si eo tempore infideles essent parentes dummodo vel ipsi vel aliqui illorum progenitores aliquo tempore fideles fuerint existimat filios nasci sine peccato originali, apud Bellarmino, tomo 2 De Baptismo, libro 1, cap.4, col.1<sup>149</sup>, et tomo 3 libro 4 De amissione Gratiae, cap. 16.

<sup>146</sup> TOMÁS AQ., 3 p., q.31, a.8. Ed.leon.331.

<sup>147</sup> ATG 65 (2002), p.230, 249.

<sup>148</sup> AGUSTÍN, 6 In Iulianum, c.3. PL 44,824.

<sup>149</sup> ROBERTO BELARMINO, De Sacramento Baptismi, c.4. Ed. Vivès, t.3, p.519.

Haereticorum praecipua fundamenta sunt duo quae sequuntur priora argumenta, nam reliqua obiiciuntur et solvuntur a catholicis

—1<sup>um</sup> argumentum ex illo Genesis [9,9], 17 [7] *statuam pactum meum inter me et te et inter semen tuum pos te in generationibus suis foedere sempiterno ut sim Deus tuus et seminis tui post te*; hoc autem foedus sempiternum esse nequit nisi comprehendat eos qui per Christum facti sunt filii Abrahae; ergo unicuique fidelium dictum est ero Deus tuus et seminis tui; ergo filii fidelium eo ipso quod sint filii fidelium iam aggregati sunt populo Dei et sancti.

2<sup>um</sup> argumentum, quoniam Paulus, 1 Cor 7 [14], cum fidelibus qui matrimonio copulati erant coniugibus infidelibus sine fide Christi angustia contumelia cohabitare volentibus ut probet ea matrimonia dissolvenda non esse ait: *alioqui filii vestri immundi essent nunc autem sancti sunt*; ergo quicumque altero parente christiano nascitur, sanctus et liber ab omni culpa nascitur.

3<sup>um</sup> argumentum: parentes iusti non habent originale peccatum; ergo non possunt illud transmittere ad filios. —CONFIRMATUR quoniam in parentibus iustis nec Adamus existit nec eius peccatum nec formaliter nec virtute; ergo non possunt transmittere originale peccatum.

4<sup>um</sup>, quoniam gratia Christi Domini potentior est ad instaurandum hominem quam originale peccatum ad labefactandum, ad Romanos 5 [10]; sed peccatum originale non solum inficit personas singulas sed etiam vim habet ut similem culpam transmittat in filios; ergo gratia Christi Domini hominem baptizatum ita purificat ut puritatem ab omni culpa transmittat in filios. —CONFIRMATUR quoniam alioqui medicina Salvatoris esset imperfecta quoniam imperfecte curat morbum qui relinquit radicem morbi nomine cuius posteritas aegrotet.

5<sup>o</sup>, quoniam in homine semel iustificato numquam reviviscit originale peccatum etiam si postea gratiam amittat; ergo in illo nihil est quod sit sufficiens causa originalis peccati; ergo nihil est virtute cuius causet originale peccatum in filiis.

6<sup>o</sup>, quoniam, Mt 7 [18], *non potest arbor bona malos fructus facere*, et ad Rom 11 [16], *si radix sancta, et rami sancti*; ergo si parentes iusti fuerint filii ex eisdem orti nasci debent iusti et innocentes. [525v]

7<sup>o</sup>, quoniam si morbus haereditarius est ut lepra, eo ipso quod recedat a patiente, recedit etiam a posteritate ut necessarium non sit filios eodem morbo laborare; sed peccatum originale est morbus haereditarius ut lepra; ergo si parentes ab illo sanantur per baptismum non est



necessarium filios eodem morbo teneri.

## Membrum 2

### Adami iustificatione abolitam esse culpam originale posteritatis contendunt quae sequuntur argumenta

Praemitto fidei dogma esse Adamum vera poenitentia consequutum fuisse salutem aeternam, qua in re solus Tacianus erravit quem Doctores catholici oppugnant: —1° ex cap.10 Sapientiae [1s]: *haec illum qui primum formatus est pater orbis terrarum cum solus esset creatus custodivit et eduxit illum a delicto suo.* —2° impugnatur constanti Ecclesiae traditione quam testatur Augustinus epist.99 ad Evodium<sup>150</sup>. —3°, multis congruentiis quas videre licet apud Ireneum, libro 3, cap.34 et sequentibus<sup>151</sup>, et Epifanium, haeresi 46<sup>152</sup>. Tertulianus, in libro De praescriptionibus adversus haereticos, cap.52<sup>153</sup>. —Idem dogma docent communiter scholastici cum Magistro, 2, d.33, § *Si vero quaeritur*<sup>154</sup>, ubi refert Augustinum, in libro De Baptismo parvulorum; D.Thoma 2 2, q.85, a.1, argumento 2<sup>155</sup>. —Videndus est praesertim Bellarminum tomo 3, libro 3 De amissione Gratiae, cap. ultimo<sup>156</sup>, et Castro Contra haereses, verbo Adam, haeresis 1.

Quo supposito ad rem praesentem ARGUITUR: —1° quoniam supposita Adami poenitentia et iustificatione nullo modo est voluntaria parvulis transgressio divinae legis; ergo nullo modo imputatur illis ut culpa. CONSEQUENTIA est manifesta ex dictis sect.1, dubio 2<sup>157</sup>. ANTECEDENS vero probatur quoniam transgressio divinae legis non est voluntaria parvulis voluntate personali illorum, ut constat, nec voluntate naturae et capitis, quod PROBO quoniam ab Adamo revocata est haec voluntas per veram poenitentiam. —CONFIRMATUR quoniam voluntas Adami, propterea iam non imputatur Adamo quoniam poenituit; ergo multo minus imputabitur posteris. PROBATUR CONSEQUENTIA quoniam posteris non imputatur transgressio nisi quatenus imputabatur Adamo

<sup>150</sup> AGUSTÍN A EVODIO, PL 33, 711.

<sup>151</sup> IRENEO, *libro 3 Contra haereses*, c.34ss. PG 7,961-965..

<sup>152</sup> EPIFANIO, *Adversus haereses*, haer.46. PG 41,839.

<sup>153</sup> TERTULIANO, *De praescriptionibus*, c.52. PL 52,90.

<sup>154</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.33, ed.Quarachi 1916, p.484.

<sup>155</sup> TOMÁS AQ., *Summa 2 2*, q.85, a.1. Ed.leon.9, 215.

<sup>156</sup> ROBERTO BELARMINO, L.3 *De amissione Gratiae*, c.12. Ed.Vivès 1875, p.325.

<sup>157</sup> ATG 63 (2000) p.226.

capiti.

2<sup>um</sup> argumentum et difficilius supponit doctrinam ab omnibus receptam, supra q. 74, a. 2, dubio 4<sup>158</sup>, scilicet quando malus effectus peccati sequitur postquam per veram poenitentiam revocata est volitio illius peccati, tunc effectus non ita est peccatum ut eo tempore quando existit homo sit peccator indignus gratia et gloria, quin potius contingit saepe hominem esse iustum et beatum quando sequitur effectus malus praeteriti peccati (quidquid sit de alia quaestione utrum ille effectus dicendus sit peccatum exterius a praecedenti volitione mala ) et ratio huius est quia praecedens volitio nec existit physice nec moraliter sed per poenitentiam et gratiam prorsus abolita est. [f.526v] Rursus, privatio gratiae quae in parvulis reperitur non est imputabilis nisi ratione primae voluntatis Adami; sed haec volitio iam prorsus abolita est per poenitentiam et gratiam; ergo iam nulla volitio manet physice nec moraliter, ratione cuius sit imputabilis modo huic puero carentia iustitiae originalis ita ut modo sit indignus Dei amicitia et dignus odio. —CONFIRMATUR quoniam satis erit hanc carentiam iustitiae relata ad volitionem Adami quae aliquando imputabilis fuit habere denominationem exterioris peccati ut homicidium sequutum virtute veneni quod propinavit is qui iam per veram poenitentiam consequutus est beatitudinem quando sequitur homicidium.

3<sup>um</sup> argumentum: quoniam vel Adamus est causa efficiens peccati originalis in parvulis, vel non: si affirmes Adamum modo causare efficienter peccatum originale cuiusque parvuli sequitur Adamum modo causare aliquid contrarium divino praecepto et voluntati, quod non potest cadere in virum qui ardentissimo amore Dei coniungitur et clara illius visione fruitur; si autem Adamus non causat originale peccatum nullum erit peccatum in parvulis qui modo nascuntur quoniam nulla est alia causa per se originalis peccati, ut vidimus in superioribus dubiis, praesertim 1<sup>o</sup>.

4<sup>um</sup> argumentum: quoniam pertinet ad iustitiam vel certe ad aequitatem Dei ut qui nobis nocere potuit peccato prodesse potuisset satisfaciendo. —CONFIRMATUR 1<sup>o</sup>, quoniam alias sibi magis quam filiis prodesset et filiis magis quam sibi nocere potuisset Adamus, quod videtur absurdum quoniam ille quocumque detrimento dignior erat quam

---

<sup>158</sup> ATG 59 (1996) p.186.

fili. —CONFIRMATUR 2<sup>o</sup> quoniam in Adamo persona corrupta corrumpit totam naturam; ergo persona sanata sanavit totam naturam.

5<sup>um</sup> argumentum: propterea peccavimus in Adam quoniam in illo eramus omnes per potentiam generativam; sed similiter eramus in eo quando poenituit; ergo in eo poenituimus omnes et recuperavimus gratiam. —Huic simile est quod pelagiani obiiciunt apud Augustinum 2 De peccatorum meritis cap.25 *cur, inquiunt, in lumbis patris sui non potuit baptizari si in lumbis Abrahae potuit decimari*, ad Haebreos, 7<sup>159</sup>.

6: quoniam gratia posterior est quam natura et peccatum, sed natura humana per generationem producit simile sibi et peccatum Adami quando non erat dimissum poterat simile peccatum producere in filiis; ergo gratia restituta Adamo potens erit ad similem gratiam transferendam per generationem in filios.

### Membrum 3

#### A parentibus fidelibus et iustis originale peccatum in filios traduci

CONCLUSIO DE FIDE: Non solum filii infidelium sed etiam filii fidelium, imo et iustorum parentum nascuntur in originali peccato. Haec non eget testimoniis Sacrae Scripturae, Conciliorum [f.527] et Patrum, ultra ea quae adducta sunt sect.1, dubio 1<sup>160</sup>, sed ut illa facilius ad rem praesentem accommodentur et ostendatur nervus quo firmiter possimus haereticos urgere ponderanda sunt quae sequuntur.

1<sup>o</sup>. Fere omnia testimonia Sacrae Scripturae quae probant originale peccatum sunt propositiones universales quae omnes homines comprehendunt, ut ad Romanos 3 [23] *omnes peccaverunt et egent gloria Dei*; ad Galatas 3 [22] *concluit Sacra Scriptura omnia sub peccato* ut omnium misereatur, et ad Romanos 5 [12], *in quo omnes peccaverunt*, pro quo testimonio recale conclusionem 1 et 2, dubio 1, sect.1<sup>161</sup>. Hae propositiones filios omnes sive fidelium sive infidelium complectuntur. —Sed peculiariter de filiis fidelium extat testimonium Davidis, Ps 50 [7], *ecce in iniquitatibus conceptus sum*, qui tamen ex fidelibus parentibus ortus erat, et Apostoli ad Ephesios 2 [3], *eramus et nos aliquando natura filii irae sicut et caeteri*, et tamen Paulus ex

<sup>159</sup> AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, 1,2, c.25. PL 44,175.

<sup>160</sup> ATG 63 (2000) p.203

<sup>161</sup> ATG 63 (2000) p.205.

fidelibus parentibus natus est nativitate iudaeus, non ex gentibus peccator, ad Philip.3 [5].

2°. Concilia et Sancti Patres qui copiosius et manifestius explicare solent res maioris momenti quae in Sacra Scriptura latent obscurius numquam excipiunt fidelium filios ab originali culpa sed omnem parvulum ex Adami stirpe progenitum generali sententia reum eiusdem culpa pronuntiat. Videnda sunt quae citavimus sect. 1, dubio 1, conclusione 3, probatione 1<sup>162</sup>. —Sed praesertim D. Ambrosius in Apologia David dicens antequam nascamur maculamur<sup>163</sup>, contagio loquitur autem sine dubio de filiis fidelium de quibus interrogatus Ciprianus libro 3, epistola 8 ad Fidum, respondet baptizandos esse ante 8<sup>um</sup> diem si opus sit propter contagium mortis antiquae. De infantibus fidelium idem praecipit Milevitanum Concilium, can.2<sup>164</sup>, et Ciricius Papa in epistola 1 ad Hibrium cap.2. —Conclusionem manifestius tradit Augustinus, 2 De peccato originali, cap.40, et 1 De nuptiis et concupiscentia, cap.18, 19 et 20<sup>165</sup>, et 6 In Julianum, cap.2 et 3, et 2 De peccatorum meritis, cap. 25 et sequentibus. Anselmus, De conceptu virginali, cap.23<sup>166</sup>.

3<sup>um</sup> argumentum quo ex morte colligitur culpa originalis Sacrae Scripturae et Patrum auctoritate munitum non minorem vim habet circa filios fidelium quam infidelium. Videnda est probatio 3 conclusionis 3, dub.1, sect.1<sup>167</sup>.

4. Non minorem vim habet eiusdem conclusionis 3, ratio 4 qua ex Redemptione Christi omnibus hominibus necessaria quoniam omnes sub ditione diaboli captivi tenebantur colligitur omnium peccatum originale, et sane fidelium filii non indigerent Christi Domini redemptione si propter fidem parentum liberi nacerentur ab originali culpa nam illi parvuli nunquam fuissent sub ditione daemonis a qua redimendi fuissent, — quod si haereticus respondeat satis fuisse filios redimi in parentibus eadem ratione dicere potuissent in solo Adamo omne humanum genus redemptum esse et redemptionem non pertinere ad singulas personas in

---

<sup>162</sup> ATG 63 (2000) p.213.

<sup>163</sup> AMBROSIO, *Apologia David*, PL 14,914.

<sup>164</sup> CONCIL. CARTAG.XVI, MILEVITANO II, can.2. Dz 102

<sup>165</sup> AGUSTIN, *De nuptiis et concupiscentia*, l.1, c.18ss. PL 44,425s.

<sup>166</sup> ANSELMO, *De conceptu virginali*, PL 158,457.

<sup>167</sup> ATG 63 (2000) p.215.

particulari sed ad caput et naturam in genere, quod hucusque [f.527v] nullus haereticorum dixisse novimus et vim infert iis testimoniis quae necessitatem redemptionis Christi Domini affirmant.

5. In diem nativitatis maledicta coniciuntur non solum ex parentibus infidelibus sed etiam ex fidelibus quoniam licet aliquis fingat Iobum propterea execrari diem ortus sui quoniam ex infidelibus parentibus natus erat, hoc tamen fingere non licebit de Ieremia cum fuerit filius Elciae de sacerdotibus qui fuerunt in Anathot, Ierm.1, et tamen cap.20 [14]ait: *maledicta dies in qua natus sum*, quod pertinere ad originale peccatum diximus sect.1, dubio 1, conclusione 3, probatione 6<sup>168</sup>; ergo etiam filii fidelium contrahunt originale peccatum.

6°. Quoniam si omnes filii fidelium nascerentur liberi ab originali culpa non esset haec immunitas singulare privilegium Christi Dei et illius Matris Beatissimae. —Praeterea non esset singulare Ioanni Baptistae et Ieremiae sanctificatos esse in utero materno. Vide quae diximus probatione ultima eiusdem conclusionis 3, dubio 1, et quae adduci solent sive ad negandam sive ad confirmandam puritatem conceptionis Beatissimae Virginis, quae omnia ostendunt hanc puritatem non esse vulgarem et omnibus perviam sed singularis excellentia.

7°. Quoniam omnia remedia quae parvulis ad salutem necessaria sunt vel fuerunt, ut plurimum non nisi iis infantibus applicantur qui ex fidelibus parentibus nascuntur. In lege naturae remedium necessarium erat parvulis applicari fidem parentum, haec autem a fidelibus et non ab infidelibus parentibus erat applicanda, deinde circumcisionis praeceptum non obligabat nisi filios eorum fidelium qui Mosis legem profitebantur, ac denique baptismus cum invito utroque parente non sit conferendus infantibus et raro consentiant parentes nisi fideles, fit ut fidelium filii habeant originale peccatum parentum fide et sacrificium expiandum olim aut resecandum circumcisione, nunc vero baptismo diluendum. Vide quae diximus sect.1 dubio 1, conclusione 3, probatione 5<sup>169</sup>, et in probatione 2 praesentis conclusionis.

CONFIRMATUR 1° universalis Ecclesiae consuetudine atque sententia qua e suos filios baptizare festinat ne eos sub damnationis antiquae sententia inopinata mors opprimat; quam totius Ecclesiae mentem fuisse

---

<sup>168</sup> ATG 63 (2000) p.220.

<sup>169</sup> ATG 63 (2000) p.217.

testatur Augustinus in epistola 28 ad Hieronymum<sup>170</sup>. —CONFIRMATUR 2° quoniam exorcismi et exsufflationes quae non solum adultis sed etiam infantibus fidelium adhibentur, manifeste ostendunt eos per baptismum a demonis potestate liberari ut notat Augustinus, 6 Contra Iulianum cap.2<sup>171</sup>, et D. Optatus, cuius verba refert Sindanus, 4° Panopiae, cap. 11, vide tiam eiusdem libri cap.15, fine. —CONFIRMATUR 3° quoniam receptum est antiquorum dogma christianos non nasci sed fieri ut ait Hieronymus epistula 7 ad Letam, Tertullianus in Apologetico, cap.17 fine<sup>172</sup>.

8. Quoniam si alicuius parentis iustitia profutura esset posteritati, ut a pec- [f.528] -cato originali eriperetur, maxime primi parentis, quoniam ille caput erat totius humani generis quod virtute generandi continebat, sed Adami iustitia non liberavit filios a peccato originali ; ergo multo minus aliorum parentum iustitia. De minori huius syllogismi rationibus petitis ex congruentia, agendum erit membro sequenti.

#### **Membrum 4**

#### **Quare Adami et aliorum parentum iustitia fuerit tantum personalis**

1°. Non solum falsum sed etiam a se ipso disidens est dogma haereticorum quod evertere cepimus superiori membro quia si ita res habet ut fidelis et iusti parentis filius non possit contrahere originale peccatum, sequitur non solum filios fidelium sed etiam filios eorum hominum qui infideles fuerunt vel erunt a diluvio usque ad finem mundi non contrahere originale peccatum. CONSEQUUTIO probatur quoniam Adamus centum triginta annos creatus genuit Seth, Gen 5,[3,] et non est probabile tot annos obstinatum haesisse in peccato, cuius tam gravem tamque manifestam vindictam protinus fuerat expertus, quinimo Patres aliqui existimant paulo post peccatum egisse poenitentiam; igitur Adam fuerat iterum iustus et fidelis quando genuit Seth; ergo ad illum non transmisit originale peccatum. Rursus Seth atque eius filii et nepotes non poterant transmittere peccatum quod ipsi numquam habuerunt, si valet aliquid haereticorum argumentum; deinde cum Noe natus fuerit ex stirpe

---

<sup>170</sup> AGUSTÍN, *epist. Hieronymo*, PL 33, 733.

<sup>171</sup> AGUSTÍN, *6 In Iulianum*, PL 44,822.

<sup>172</sup> TERTULIANO, *Apologeticus adversus gentes,c.17s*. PL 1,433s.2

Seth et a Noe totum humanum genus post diluvium ducat originem, ut constat Gen 6, sequitur totum humanum genus post diluvium liberum nasci ab originali culpa quam non potuit a parentibus accipere. Hoc argumentum contra omnes haereticos sed praesertim contra Bulingerum efficax est. Vide supra mem.1.

2°. Si autem rationem a priori desideres ob quam Adami et aliorum parentum iustitia illorum tantum personis prosit cum Adami peccatum non solum illius personae sed etiam posteritati nocuerit, nulla alia ratio inveniri potest nisi quoniam Deus ita pactum instituit cum Adamo ut haberet auctoritatem capitis quantum ad servandam iustitiam vel amittendam sed non quantum ad recuperandam iustitiam semel amissam, ita ut Adamus per peccatum amitteret omnem auctoritatem capitis quantum ad traducendam iustitiam; perinde atque inferior iudex officio functus qui definitivam sententiam revocare nequit. Et praeterea Deus nulli aliorum parentum contulit auctoritatem capitis ut ad posteros possent transmittere iustitiam.

3°. Si petas unde constat Deum ita libere voluisse et instituisse pactum, RESPONDEO: ex Sacra Scriptura colligitur omnibus argumentis quae in hoc et praecedenti membro adducta sunt.

4°. Huius liberae voluntatis Dei possumus reddere rationes congruentiae ostendentes hoc providentiae genus divina sapientia et bonitate dignum de his [f.528v] videndo Sacram Scripturam, D. Augustinum, 2 De peccatorum meritis, cap.2, 26 et 27<sup>173</sup>; et libro 3, cap.8 et 9<sup>174</sup>; et 6 In Iulianum, cap. 2 et 3<sup>175</sup>; Hugo de Sto.Victore, tomo 3, libro 1 De Sacramentis fidei, p.7, cap.37<sup>176</sup>. Magister 2, d.31, § *Ne autem*<sup>177</sup>; Gulielmus Parisiensis, tomo 1 De vitiis et peccatis, cap.4; Albertus, p.4, 207, mem 2 ad 4; Alexander, 2 p., q.122, mem 1 ad antepenultimum argumentum et ad ultimum; D. Thomas, 4 Contra Gentes, cap.52 ad 1; D. Bonaventura fusius quam alii scholastici, 2, d.32, a.1, q.2<sup>178</sup>; Gerson, 2 p., tract.8 De vitiis naturae et voluntatis, cap. De

---

<sup>173</sup> AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, 1.2, cc.2,26,27.PL 44,151,165,167

<sup>174</sup> ID, *Ibid.*, libro 3,c.8s.PL 44,194s.

<sup>175</sup> AGUSTÍN, 6 *In Iulianum*, PL 44,828.

<sup>176</sup> HUGO DE S.VICTOR, *De Sacramentis Fidei*, p.7, c.37. PL 176,304.

<sup>177</sup> PEDRO LOMBARDO, *Libri IV Sententiarum*, 2, d.31; ed. Quarachi p.471..

<sup>178</sup> BUENAVENTURA, *In 2 Sententiarum*, d.32, a.1, q.2. Quarachi 1885, p.762.

originali peccato, alphabeto 28, littera L; Ruardus, a.2 Contra Lutherum, § *Ex his videmus*; Bellarmino, tomo 3, libro 4 De missione gratiae, cap.10, obiectione 6<sup>179</sup>, et cap.14<sup>180</sup>.

Notandum est quasdam ex sequentibus rationibus separatas ab aliis obscuras et insufficientes videri sed aliis adiunctas explicare se invicem et confirmare ita ut plena ratio congruentiae ex omnibus coalescat.

1<sup>a</sup> RATIO, Hugonis et Bonaventurae: quoniam post baptismum in parentibus iustis remanet poena originalis peccati scilicet concupiscentia, corruptio carnis, vitium seminis et virtutis generativae, et haec omnia transmittuntur ad filium cui imputantur ad culpam quoniam nondum per baptismum regeneratus est super parentes. Vide rationem 5 sequentem.

2<sup>a</sup> RATIO: quoniam Adami peccatum fuit capitis ut caput et fuit peccatum totius naturae humanae; sed satisfactio, poenitentia et iustificatio Adami fuit solius personae, ac similiter omnes alii parentes per baptismum iustificantur quantum ad personas tantum sed natura humana adhuc manet peccatrix, aversa a Deo et iniusta. Ita Albertus, D. Thomas, D. Bonaventura et Bellarmino supra et iuniores communiter, ut Zumel, q.81, a.1, disp.2 in 2<sup>o</sup> argumento et solutione. —Ad hanc rationem explicandam OBIICIO 1<sup>o</sup> quoniam Adami peccatum etiam ut caput erat, illi dimissum est per poenitentiam; ergo Adamus satisfecit etiam ut caput. ANTECEDENS PROBATUR quoniam nisi Adamo dimissa esset formalitas peccati ut capitis illa redderet Adamum dignum aeterna poena damni et sensus. —CONFIRMATUR quoniam si rex aliquis omnia alia culpa vacaret praeter quam evertendi rempublicam, ille dignus esset aeterno supplicio; ergo nisi Adamus satisfecisset pro suo peccato ut erat caput, dignus esset adhuc aeterno supplicio.—RESPONDEO: distinguo consequens: Adamus satisfecit ut caput, scilicet satisfecit etiam peccato personali quod personae proveniebat ex eo quod violavit peculiarem obligationem capitis; sed non satisfecit ut caput ita ut in ipsa satisfactione haberet auctoritatem capitis qua totius naturae culpam sua satisfactione deleret. —OBIICIES 2<sup>o</sup> quoniam impossibile videtur sanctificari personam quin sanctificetur natura humana in eadem persona existens; ergo quando parentes baptizantur non solum persona sed etiam natura humana sanctificatur. —CONFIRMATUR quoniam alioqui Deus odisset naturam humanam D. Petri et Adami, quod est absurdum.

---

<sup>179</sup> ROBERTO BELARMINO, *De amissione Gratiae*, l.4, c.6. Ed. Vivès 1873, t.5, p.421.

<sup>180</sup> IDEM *Ibidem*, c.10. *Ibidem*, p.436.



—RESPONDEO praedictam rationem non esse ita intelligendam ut natura humana quae constituit hominem Petrum qui iustificatus est illa realiter eadem retineat peccatum originale sed clarius [f.529] ita dicit posteritas nativitate procreanda aut tota futurorum hominum collectio quae appellatur natura humana adhuc non est liberata ab originali peccato quamvis parentes iustificati fuerint quoniam iustitia tantum illo tribuitur pro illorum tantum personis non ut ad posteritatem transmittatur.

Sed ne praecedens ratio videatur principium petere oportet rationem petere ob quam iustificatio Adami et aliorum parentum debeat esse personalis tantum et non humanae naturae sive capitis ut caput est.

—Sit ergo 3<sup>a</sup> RATIO Alberti, Alexandri et D. Bonaventurae, supra: quoniam cuiusque boni Deus est primus ac praecipuus auctor, mali vero creata voluntas est principium, ac proinde potuit Adamus caput esse quoad peccatum, et Deus, quoad peccatum naturae caput esse non poterat; sed iustificationis solus Deus poterat esse initium.

DICES potuisset Deus Adamo vel aliis parentibus conferre dignitatem capitis quantum ad iustificationem ita ut possent iustitiam transmittere.

—RESPONDEO potuisset quidem de potentia absoluta sed minime expediebat caput et initium iustificationis esse nisi Christum Dominum, Deum et Hominem. Cuius rationem si desideres invenies ubi Doctores disputant de necessitate et congruentia incarnationis, praesertim quoniam nullus homo purus iustus poterat de rigore iustitiae satisfacere.

Si rationem petas ob quam non expedierit a Christo Domino conferri parentibus baptizatis eam auctoritatem ut virtute Christi Domini gratiam generatione transmitterent sicut eam conferunt baptizantes, RESPONDEO RATIONEM esse

1<sup>o</sup> ut medium quo Christi Domini gratia traducitur ad eius filios altius esset quam medium quo propaganda foret Adami gratia et innocentia.

2<sup>o</sup> ut manifestius ostenderetur quid a nobis nostrisque parentibus ratione sui quidve a Christo Domino accipiamus.

3<sup>o</sup> ut secundi novique hominis secunda esset nativitas et regeneratio quae temporis distinctione ostenderet diversum habere parentem.

Unde sumitur 4<sup>a</sup> RATIO Augustini, 2 De peccatorum meritis, cap.27<sup>181</sup>, quoniam pueri in parentibus baptizatis non baptizantur; ergo non liberantur in illis ab originali peccato sed postea in se ipsis liberandi

---

<sup>181</sup> AGUSTÍN, 2 *De peccatorum meritis et remissione*, c.27. PL 44,177.

sunt. ANTECEDENS PROBATUR quoniam non potest renasci nisi qui iam est natus, sed baptizari est renasci, Ion 3 [5]; ergo non potest baptizari qui adhuc est in potentia generativa patris sed qui iam fuerit natus.

His proxima est 5<sup>a</sup> RATIO D. Augustini et Magistri servatarum per Gersonem, D. Bonaventurae et aliorum: quoniam Adamus et alii parentes non generant filios qua parte liberi sunt ab originali culpa sed qua parte retinent adhuc corruptionem aliquam illius, nam secundum animae substantiam atque intellectum voluntatemque iustificati sunt, sed iis potentiis non generant [f.529v] sed corpore et virtute generativa illius quae adhuc retinet vitium ex originali peccato relictum, scilicet passibilitatem, mortalitatem et concupiscentiam, et praesertim ordinationem extrinsecam ut in filios transmittat similem corruptionem. Vide quae diximus sect.2, dubio 3<sup>182</sup>. — Unde intelligitur discursus Augustini, 2 De peccatorum meritis, cap.27, ubi notentur praesertim illa verba quia renovati parentes *non ex primitiis novitatis sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt*<sup>183</sup>, et 3 lib. De peccatorum meritis, cap.9, ait transmittere peccatum originale improbabilem non esse per spiritum regeneratorum sed quo in carne generati sunt mortalis seminis vitium, et lib.6 In Iulianum, cap.2, fine<sup>184</sup> inquit: homo qui spiritualiter natus carnaliter gignit utrumque habet semen, et immortale unde gaudeat vivum, et mortale unde generet mortuum.

Hanc rationem CONFIRMANT exempla D. Augustini, 2 De peccatorum meritis et remissione, cap.25, 26 et 27<sup>185</sup>, et libro 3, cap.8 et 9<sup>186</sup>, et libro 2 Contra Iulianum, cap.2 et 3<sup>187</sup>. — Aliqua ex Augustino accipiunt Magister, Gulielmus Parisiensis, D. Bonaventura et alii supra citati. Praecipuum exemplum est ut ex circumciso homine olim non nascebatur homo circumcisis ita ut non solum carne dissimilis esset filius parentibus sed etiam animo, quoniam indigebat circumcissione personali ne periret anima eius de populo suo, nec sufficiebat illi circumcissio parentum, ita de iusto homine et baptizato nascitur iniustus et baptismo indigens. De hoc fusius Augustinus, 2 Contra Iulianum, cap.3 sub

---

<sup>182</sup> ATG 65 (2002) p.230.

<sup>183</sup> AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, 1.2, c.27. PL 44,177.

<sup>184</sup> AGUSTÍN, 6 *In Iulianum*, PL 44, 831.

<sup>185</sup> AGUSTÍN, *De peccatorum meritis et remissione*, 1.2, cc.25ss. PL 44,175ss.

<sup>186</sup> IDEM, *Ibidem*. 1.3, c.8s. PL 44,194s.

<sup>187</sup> AGUSTÍN, 2 *In Iulianum*, PL 44,675.

finem<sup>188</sup>. —2°, ex consecrato episcopo vel sacerdote filius non nascitur consecratus et sacerdos. —3. Quomodo palea quae opere humano tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu qui de purgato nascitur tritico, ita peccatum, quod in parentibus per baptismum mundatur, manet in iis quos genuerunt.

4. Exemplum olivae cuius semen in oleastrum degenerat cui exemplo contradixit Iulianus affirmans olivam nasci ex olivae semine, quam controversiam ut minus utilem et cuius eventus non nisi diuturni temporis experimento explicari potuisset praetermittit Augustinus, dicto cap.3, libro 6 *Contra Iulianum*<sup>189</sup>, consulti periti rusticae rei et experti, contraria respondent: quidam affirmant arbores mates [?] atque pomiferas quasdam esse ex quarum semine nascatur eiusdem speciei arbor imonitis [?] ac prope silvestris; aliquis etiam testatur se vidisse inter oliveta quo non erat verisimile pervenisse oleastri semen sed olivae natas arbusculas similes oleastro; iis utrumque alii dicunt non esse verisimile [f.530] illud tamen ab omnibus conceditur ex semine vitis labruscam generari.

### Membrum 5

**Quamvis parentes nullo instanti fuissent infecti  
originali peccato, illud tamen ad filios transmitterent  
Ubi quid si Adamo de potentia absoluta relicta fuisset  
gratia et iustitia quando peccavit**

Si duos homines, virum atque foeminam paterno genere et naturali generatione ex Adamo ortos Deus in primo instanti suae conceptionis gratia iustificante ita institueret ut non solum ab originali culpa praeservarentur, ut pie de Beatissimae Virginis Conceptione credimus sed etiam extingueretur prorsus in eis omnis peccati fomes et concupiscentia, si tamen his gratia non esset data ut capitibus, scilicet cum facultate transmittendi illam ad filios sed tantum esset gratia personalis ut quae modo confertur in baptismo, filii ex eisdem parentibus naturali generatione nati contraherent originale peccatum. Ita aperte Soto, 1° *De natura et gratia*, cap.9 sub finem<sup>190</sup>; colligitur non obscure ex sententia Alberti, Alexandri et Scoti quam retulimus in dubio 7, ante

---

<sup>188</sup> AGUSTÍN, 2 *In Iulianum*, PL 44,678.

<sup>189</sup> AGUSTÍN, 6 *In Iulianum*, PL 44, 835.

<sup>190</sup> DOMINGO DE SOTO, *De natura et gratia*, libro 1, c.9. Salamanca 1554, p.31.

conclusionem. —Haec assertio non alia probatione indiget quam quibus usi sumus in duobus membris superioribus nam quamvis parentes nullo unquam instanti contraxerint originale peccatum adhuc verum est eosdem parentes et eorum filios in Adamo peccavisse, quod si filii peccaverunt contrahent originale peccatum nisi Deus illis conferat in instanti conceptionis idem privilegium gratiae iustificantis quod parentibus contulit.

Sed quid si Adamum quando peccavit Deus de potentia absoluta reliquisset iustitiam originalem et gratiam ita ut simul in eodem tempore existerent in voluntate Adami volitio turpis contra divinum praeceptum et tamen in essentia animae et illius potentiis remanerent habitus gratiae, charitatis et aliarum virtutum donorumque usque adeo ut quamvis esset in peccato actuali voluntatis numquam tamen contraheret peccatum habituale. —De hypothesi utrum sit possibilis non est in praesenti disputandum sed ubi de gratia, quare data hypothesi videndum est utrum filii Adami contraherent originale peccatum ex vi pacti de facto initi.

In qua re non minus ardua quam ambigua, lucem desideramus adhuc. Unus Zumel, in q.83, a.1, in discursu articuli prope finem videtur hanc quaestionem sub alio titulo attigisse, verum illius mentem non satis teneo et quaedam illius dicta minus probo quamvis mihi favere videant.

**[f.530v]**

DICO igitur probanilius videri et magis consonum ad doctrinam Ecclesiae atque Sanctorum traditam in superioribus membris quod Adami filii contraherent originalem culpam in praedicto casu nisi Deus in Adamo servaret gratiam quasi in capite conservando illi non solum gratiam quam merebatur amittere quod est privilegium personale sed etiam per aliud privilegiumcapitis conservando in Adamo auctoritatem transmittendi ad posteros originalem iustitiam. —PROBATUR quia si Adamus actu voluntatis peccavit omnes filii eius peccaverunt in eo; sed Adamus propter illum actum peccati dignus erat amissione gratiae et propterea nisi Deus speciali privilegio conservaret illi gratiam contraheret originale peccatum; ergo similiter eius posterii qui in Adamo peccaverunt propter suum peccatum in capite digni sunt carere gratia et nisi a Deo per speciale privilegium gratiam in conceptione accipiant contrahunt habituale peccatum originale. —Quod, solutione sequentium obiectionum confirmatur.

1<sup>a</sup> OBIECTIO, quoniam gratia et iustitia Adami erat gratia capitis et annexum habebat privilegium transeundi ad posteros; ergo eo ipso quod

Deus in Adamo conservabat gratiam et iustitiam conservabat in eo potestatem transmittendi gratiam ad posteros. —CONFIRMATUR quoniam Adamus non poterat posteris amittere gratiam nisi prius illam sibi amitteret; ergo si Deus de potentia absoluta impediret ne Adamus sibi amitteret gratiam quamvis peccaret, eo ipso impediret Deus ne Adamus gratiam posteris amitteret. RESPONDEO gratiae Adami annexum erat privilegium transeundi ad posteros quamdiu Adamus servaret Dei legem, qua violata quamvis de potentia absoluta conservaretur gratia non sequebatur inde gratiam conservari cum eodem privilegio, quoniam Adamus eodem peccato quo meruit amittere gratiam meruit amittere et amisit privilegium et potest Deus de potentia absoluta gratiam conservare non instaurato iterum privilegio quod ex sua ratione interierat propter defectum conditionis requisitae ad eius perseverantiam. —Ad confirmationem RESPONDEO distinguendo antecedens: Adamus non poterat amittere posteris iustitiam nisi eam sibi amitteret quod est ex vi sui demeriti; quod autem fuerit de facto expoliatus gratia non est omnino necessarium ut posteris amittatur iustitia.

2<sup>a</sup> OBIECTIO infantium peccatum habituale consistit in privatione iustitiae, supra sect.1<sup>191</sup>; sed hanc privationem Adamus non posset ad posteros transmittere si in illo [f.531] conservaretur iustitia; ergo non transmitteret originale peccatum. Minor probatur quoniam Adamus non potest ut principalis causa peccati originalis transmittere privationem quam ipse non habet in se, praesertim cum Adamus non solum sit causa efficiens sed etiam quasi exemplaris peccati originalis. —RESPONDEO negando minorem et ad eius probationem, Adamus potest esse causa efficiens exemplaris originalis peccati eo quod virtute contineat privationem iustitiae originalis in sua volitione turpi quasi in causa demeritoria gratiae nec est simpliciter necessarium illam privationem formaliter esse in Adamo quamvis de potentia ordinata et secundum providentiam rebus congruentem debeat permitti ut in Adamo sit privatio iustitiae formaliter a qua deriventur filiorum privationes.

### **Membrum 6**

#### **Satisfacit argumentis propositis membro 1°**

Ad 1<sup>um</sup> RESPONDEO: promissio illa Gen 17 peculiarem protectionem,

---

<sup>191</sup> ATG 63 (2000) p.203.

gubernationem et temporalem felicitatem significat ad litteram sed praeterea sive literalis sive mystico sensu affert spiritualem peccatorum remissionem atque iustitiam, utrumque autem non promittitur iis qui sunt filii carnis sed iis qui secundum fidem sunt filii Abrahae, quoniam ii tantum computantur in semine. Rom 4 et 9, et ad Gal.3 et 4. Itaque quando adulti credunt et ad Deum convertuntur et quando parvuli suscipiunt sacramentum fidei quod nunc baptismus, olim circumcisio erat tunc demum per spiritualem generationem participes efficiuntur eorum quae Abrahae semini promissa sunt, ut sit Deus eorum foedere sempiterno.

Ad 2 RESPONDET Apostolus, 1 Cor.7 dicens fidelium filios sanctos esse quamvis ex infideli coniuge suscipiantur non significat sanctitatem gratiae iustificantis et liberantis a culpa illis infundi antequam baptizentur vel convertantur ad fidem. Ita exponunt omnes Patres praesertim Chrysostomus ibi, homilia 19 et Ecumenius. D.Augustinus, 2 De peccatorum meritis et remissione cap.26<sup>192</sup>, et libro 3, cap.12<sup>193</sup>, et libro 1 De sermone Domini in monte cap.27(((no))), et sermone 14 De verbis Apostoli. Tertulianus libro 2 Ad uxorem, et ex eo D.Hieronymus, libro 2 In Iovinianum, et epistola 113 ad Paulinum, auctor commentariorum quae tribuuntur Ambrosio, Anselmus et D.Thomas 1 Cor 7. —Et evidenter ostendit Augustinus quia ibidem dixerat Paulus coniugem infidelem sanctificari per fidelem et tamen stultissimum esset credere coniugem infidelem sola fidelis coniugis cohabitatione sine baptismo et fide pervenire ad remissionem peccatorum.

PETIS autem quae sanctitas sit filiorum qui ex altero coniuge fideli et altero infideli [f.531v] nascuntur. —Quatuor sensus illius vocis colligo ex citatis Doctoribus quamvis plerumque loquantur ambigue:

1<sup>us</sup>: sanctitas filiorum est posse sine ullo peccato parentum, imo laudabili officio matris procreari, quapropter Christus dicunt inesse verbo hyperbolem ut audita sanctitate abundantius perderetur timor peccati ex animo coniugis fidelis ad eum namque scopus Paulus dirigebat orationem.

2<sup>us</sup> sensus praecedenti proximus: sanctitas illa est civilis et humana, non divina, qua filii vere sunt legitimi et tamen spurii. Ita Ambrosius, commentario; Anselmus et D.Thomas —et quamvis eadem sanctitas insit

---

<sup>192</sup> S. Augustinus, De peccatorum meritis et remissione, 1.2,c.26. PL 44,176

<sup>193</sup> Idem, Ibidem,1.3,c.12. PL 44,198.

filiis utriusque parentis infidelis non sequitur praedictam expositionem esse contra mentem Pauli quoniam his verbis non intendit fidelem praeferrī infideli quantum ad sanctitatem filiorum sed tantum peccati formidinem propulsare a coniuge fideli.

3<sup>o</sup> intelligi potest hoc loco sanctitas obiectiva esse in filiis qua ratione a fideli coniuge amantur et generantur sancta intentione et desiderio fidei et aeternae felicitatis et qua ratione propter sanctitatem et orationem fidelis coniugis Deus solet adesse peculiari auxilio ne coniux infidelis et eius filii fideli coniugi noceant sed potius ab illo emolumentum accipiant; haec autem extrinseca ordinatio filiorum et providentia circa illos potuit appellari sanctitas iure potiori quam ciborum sanctificatio per gratiarum actionem et benedictionem, de qua 1<sup>a</sup> ad Timoteum 4 omnis creatura Dei bona est et nihil reiiciendum quod cum actione gratiarum percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei et orationem, scilicet, ut laudabiliter utamur cibis ad honorem Dei qui sua gratia temperat inordinatos affectus quos ciborum usus sine Dei memoria et oratione excitaret. Vide D. Augustinum, sermone 14 De verbis Apostoli.

4<sup>o</sup>. Sanctitas coniugis infidelis et filiorum proveniens ab altero coniuge fideli intelligi potest ille affectus qui ex negatione maioris vitii laudatur potius quam ex affirmatione virtutis quo infidelis coniux et eius filii non abhorrent a pacifica cohabitatione fidelis coniugis, unde spes affulget ut aliquando tandem ad fidem convertantur aut certe virtutes aliquas morales addiscant a fideli coniuge, victi illius exemplo, praesertim vero circa matrimonii leges quas gentiles turpissime violabant, de qua explicatione vide praesertim Tertulianum et Hieronymum

Ad 3<sup>um</sup> argumentum cum confirmatione RESPONDEO: si parentes proximi essent causa originalis peccati oporteret forte in parentibus esse originale peccatum aut formaliter aut virtualiter; verumtamen proximi parentes non sunt causa originalis peccati sed tantum causa sunt uniendi filios [f.532] cum Adamo ut cum capite, quae unio fit per generationem naturalem ad quam nihil refert iustos vel iniustos esse parentes et quod parentes non sint causa peccati originalis sed tantum uniendi filios cu Adamo optime tractant Albertus 2p. q.107, mem 4, a.1; Alexander 2 p., q.122, mem 3, a.1. —Addo insuper parentibus iustis aliquo modo inesse peccatum originale virtute et eminenter quatenus in illis manet ea corruptio seminis ex qua redundat in prolem originale peccatum. Supra,

sect.2, dubio 3 et 5<sup>194</sup>.

Ad 4 nego consequentiam: in eo enim elucet vis divinae gratiae ut per baptismi regenerationem transmittatur sicut peccatum traducitur naturali generatione. Ad confirmationem RESPONDEO Christi Domini medicinam congruo tempore habet sanctitatem perfectam extirpata omni radice mali, scilicet in patria. Interim, quamvis relinquat concupiscentiam et traductionem originalis peccati nihil habet imperfectionis Redemptoris remedium quin potius humani generis morbus qui superbia praesertim abundabat melius curatur concupiscentia et radice peccati originalis ad humilitatem nostram relictam, et aliunde parato regenerationis remedio.

Ad 5 negatur postrema consequutio quia nullus potest seipsum per generationem iterum unire cum Adamo, potest autem suos filios per generationem unire et hac ratione traducit ad illos originale peccatum ut causa omnino per accidens peccati, ut supra dixi.

Ad 6 RESPONDEO: illae propositiones verae sunt, in sensu formali tamen, scilicet arbor bona in quantum bona et radix sancta ut sancta, et parentes iusti si agunt qua ratione iusti sunt non producant nisi ramos, fructus et filios bonos et iustos; atqui parentes non generant filios per mentem qua iusti sunt sed per carnem qua sunt corrupti. Supra, mem.4, ratione 5. Adde quod peccatum originale non est fructus productus a parente proximo sed a primo peccato Adami cui per generationem filius unitur, potest autem iustus generando unire filium proavo iniusto.

Ex eodem principio RESPONDEO ad 7: morbus haereditarius ut lepra, eo ipso quod a parente recedat, recedit etiam a posteritate quoniam causa efficiens leprae in filio est morbus quem actu habet pater non quem antea habuit; at vero originalis peccati quod traducitur in prolem causa efficiens est peccatum quod Adamus commisit, illud enim sua morali actione agit, quamvis iam realiter non existat. —RESPONDEO 2 quamvis reliqua membra atque potentiae consequuta fuissent perfectam sanitatem, si tamen vis generativa retineret leprae corruptionem transmitteret illam in filios; sic ergo quoniam in carne parentum [f.532v] manet illa corruptio superius explicata et secundum illam generant, possunt originale peccatum transmittere. De hac solutione recte D.Bonaventura 2, d.32, a.1, q.2 fine<sup>195</sup>.

---

<sup>194</sup> *ATG 65 (2002)* p.230.

<sup>195</sup> S. Bonaventura, In 2 Sententiarum, d.32, a.1, q.2. Ed. Quarachi 1885, p.765.



### **Membrum 7**

#### **Diluuntur argumenta proposita membro 2**

Ad 1 RESPONDEO negando antecedens, et ad eius probationem distinguo, nam volitio illa turpis qua Adamus peccavit revocata est in quantum erat voluntas personae, eo quod illius poenitentia fuit personalis sed non fuit revocata in quantum erat voluntas totius humani generis quoniam poenitentia non est facta nec collata gratiae nomine totius humani generis. Supra, membro 4, ratione 2, ac proinde prima volitio turpis Adami permanebit semper moraliter imputabilis cuicumque homini cui per Christi Domini gratiam non fuerit remissa. Ad confirmationem nego consequentiam, et eius probationem distinguo: filiis Adami non imputatur culpa nisi quatenus imputabatur Adamo, ita ut non potuisset posteris esse voluntaria culpa nisi aliquando fuisset voluntaria personae Adami, verumtamen quamvis desinat esse voluntaria personae Adami, permanebit voluntaria posteris modo explicato.

2<sup>i</sup> argumenti minor explicanda est eadem distinctione, scilicet, privatio gratiae quae in parvulis reperitur est effectus malus sequutus ex turpi volitione Adami in quantum illa volitio erat naturae et ut sic non est revocata illa volitio per poenitentiam sed tantum ut erat personae, et propterea privatio gratiae in parvulis retinet veram et propriam rationem peccati, unde constat solutio confirmationis negando antecedens nam homicidium sequutum virtute veneni quod propinavit ille qui iam per veram poenitentiam consequutus est gratiam, est effectus volitionis prorsus revocatae et nullo modo manentis quoniam voluntas homicidii fuit peccatum personae tantum et non peccatum naturae et poenitentia personali prorsus abolitum est, at vero privatio gratiae in parvulis est effectus volitionis malae primi parentis qua ratione erat volitio naturae quo modo revocata non est sed adhuc moraliter permanet.

Ad 3 RESPONDEO: Adamus modo causat peccatum originale parvuli qui nunc generatur, ad eum modum quo generans quamvis iam non existat dicitur movere gravia et levia; sicut enim movet quia manet virtus ab illo impressa scilicet gravitas et levitas quamvis ipsum principale agens non maneat, ita primum peccatum Adami adhuc moraliter permanens sub ea ratione qua est peccatum naturae est virtus ratione cuius Adamus ut causa illius peccati causat modo originale peccatum parvulorum, et non est inconveniens Adamum [f.533] qui modo per ardentissimum amorem Deo coniungitur causare nunc peccatum originale si non causat per volitionem quam nunc habet sed per

volitionem turpem quam olim habuit et moraliter durat ut est peccatum naturae.— Imo totus Adamus sub ea ratione praecise qua in quantum caput omisit iustitiam censetur adhuc moraliter existere.

Ad 4 RESPONDEO explicando antecedens: pertinet ad aequitatem et misericordiam Dei ut sicut primus homo nocere nobis potuit peccando, idem scilicet alter Homo excellentior prodesse posit satisfaciendo quod cumulatissime praestitit Deus Homo. — Ad 1<sup>am</sup> confirmationem RESPONDEO non esse inconueniens Adamum potuisse sibi magis prodesse quam filiis dummodo subvenerit secundus Adamus qui filiis magis prodesse potuit quam nocuerit primus. —Ad 2<sup>am</sup> confirmationem negatur consequentia quoniam corrupta persona amisit dignitatem capitis qua virtute continebat naturam et ideo personae sanitas non potuit restituere sanitatem naturae.

5<sup>i</sup> argumenti antecedens est falsum quoniam adaequata causa ob quam in Adamo peccavimus non est quoniam virtute continebamur in eius potentia generativa sed praecipua causa est quoniam Adamus constitutus erat caput quoad iustitiam retinendam vel amittendam sed non quoad iustitiam recuperandam. —Ad pelagianam obiectionem RESPONDEO de potentia absoluta ita institui potuit baptismus ut in parentibus baptizarentur futuri filii data patribus potestate transmittendi gratiam per generationem sed non expediebat ita institui, ut probatum est membro 3 et 4; at vero decimatio Abrahae instituta est a Deo ut in eo omnes tribus futurae decimarentur et profiterentur cultum Christi cuius typum gerebat Melchisedech.

Ad 6 negatur consequentia quoniam gratia ab uno in alium traducitur peculiari modo et peculiari tempore traductionis, scilicet per sacramenta et per actus fidei, poenitentiae et charitatis, nec propterea gratia minus potens est quam natura et peccatum, quamvis gratiae traductio non comitetur traductionem naturae, quin potius in eo ostenditur potentior esse gratia quoniam peccatum iam traductum excludit et naturam humanam restituit.

### **Remittuntur quae restant**

Quoniam auditorum utilitas et quae ad hanc uberius colligendam dirigit studiorum ratio Dei nomine praescripta per superiores postulat ut iam tandem ad aliam theologiae partem explicandam accedamus omittendae sunt quae restant quaestiones de peccatis vel potius ad superiores quaestiones remittendae in quibus aut eadem aut simillimae

[f.533v] difficultates expeditae sunt nam praeter pauca eaque facilia nihil huius tractatus proprium superesse reperies si bene rationem subduxeris ut sequens index ostendit.

### Sectio 6 Utrum Beata Virgo Maria Sine peccato originali concepta fuerit

Haec quaestio a paucis disputatur in tractatu de originali peccato ut a Maiore in 2, d.30, q.4, et Marsilio, q.20. —A fere omnibus servatur in locum magis oportunitate post incarnationem Verbi, ubi Magister disputat 3, d.3<sup>196</sup>, et scholastici communiter et D.Thomas in Summa eundem ordinem sequutus de hac re non disputat in praesenti sed in 3 p., q.27<sup>197</sup>. Videri possunt Suarez, tomo 2, disp.3<sup>198</sup>; Bellarmino, tomo 3, libro 4, De amissione gratiae, cap.15 et 16<sup>199</sup>; Turrianus in epistola de originali peccati definitione, in q.2; Canisius libro 1 de corruptelis Verbi Dei cap. 5 et sequentibus; Corduba libro 1, q.44; Caietanus tomo 2 opusculorum, tract.1; Catherinus opusc. De conceptione B. Virginis, et in adnotationes contra Caietanum, libro 4, a capite quod incipit in tract. suo de conceptione usque ad finem libri latissime; Mauritius ilaretus copiose in hom.de Immaculata Conceptione apud quos invenies notata loca in quibus ab aliis Doctoribus eadem quaestio tractatur.

### Sectio 7 De poena originalis peccati

Mala quibus originale peccatum punitur reduci possunt ad duo genera, alterum eorum quae in hac vita patimur, inter quae praecipua sunt ignorantia et concupiscentia, de quibus dictum est satis sect.1, dubio

---

<sup>196</sup> PETRUS LOMBARDUS, *Libri IV sententiarum*, 3, d.3 (ed. Quarachi p.557).

<sup>197</sup> S.Thomas, q.27. Ed.leon. 11,288.

<sup>198</sup> FRANCISCO SUÁREZ, *3 p., q.27*. Ed. Vivès, t.19, p.22.

<sup>199</sup> S.Roberto Belarmino. De amissione Gratiae, l.4, c.15s. Ed.Vivès 1873, t.5, p.378, 383.

16 et sequentibus<sup>200</sup>, addito dubio 5<sup>201</sup> eiusdem sectionis, ex quibus constat nihil eorum quae naturaliter debita sunt homini amissum esse originali peccato mortemque et alias aerumnas consequi ex natura hominis. De his omnibus disputat D.Thomas infra, q.87, et 2 2, q.164<sup>202</sup> ubi sigillatim explicat poenas primo parenti et humano generi indictas Gen 3 cap. ab illis verbis *multiplicabo aerumnas tuas* de quibus videndi sunt expositores praesertim Abulensem et Pererium in cap.3 Gen.

Alterum genus malorum quae in futura vita patiuntur pueri, ut exilium a regno coelesti, carcer limbi, privatio beatitudinis naturalis et tristitia amissae beatitudinis, si forte illam patiuntur, de qua nihil affirmo. —Circa hanc poenam diximus pauca in sect.4, dubio 4<sup>203</sup>, et sect.1, dubio 9<sup>204</sup>, et q.88, a.4, difficultates. [f.534]

De his videri possunt ex iunioribus praesertim Bellarmino, tomo 3, libro 6 De amissione gratiae<sup>205</sup>; Zumel 9, d.3, a.4; Valentia tomo 2, disp.917, puncto 4; Soto 1 De natura et gratia, cap.13 et 14<sup>206</sup>; et 4 d.45, q.1, a.2 et 4; Ruardus a.2 Contra Lutherum, sub finem, propositio 5 de originali peccato; Driedo, 1 De gratia et libero arbitrio, tract.3, cap.2, p.5<sup>207</sup>. —Et ex antiquis Albertus 2 p., q.113; Alexander, 2 p., q.122, mem.10; D.Thoma tota q.5 De malo<sup>208</sup>; D.Antoninus 1<sup>a</sup> p., titulo 8, cap.7, § 2 et 4; Raineli 2 p., verbo poena cap.18; Almain, 3 Moralium cap.19 fine; Gulielmus Parisiensis tomo 1, tractatu De vitiis et peccatis, cap.7 quod incipit *Post haec autem*, et cap.8; Altissiodoensis libro 2, tract.27, q.5 et 6; scholastici communiter 2, d.33 ubi hanc rem Magister unico verbo atigit; D.Bonaventura a.3<sup>209</sup>; Durandus q.3<sup>210</sup>; Scotus<sup>211</sup>, Capraeolus, Maior, Marsilius 2, q.19, a.5 a conclusione 2; Abulensis in

<sup>200</sup> ATG 64 (2001) p.251 65 (2002) p.187.

<sup>201</sup> ATG 63 (2000) p.259.

<sup>202</sup> S.Thomas, 2 2, q.164. Ed.leon.10,334.

<sup>203</sup> ATG 66 (2003) p.216.

<sup>204</sup> ATG 64 (2001) p.260.

<sup>205</sup> S. Roberto Belarmino, De amissione Gratiae, l.6. Ed.Vivès 1873, p.454.

<sup>206</sup> Domingo de Soto, De natura et gratia, libro 1, c.13s. Salamanca 1554, p.44.

<sup>207</sup> Ioannis Driedonis, De Gratia et libero arbitrio, l.1, c.2, paers 5, Lovanii 1566, fol.122.

<sup>208</sup> S.Thomas, *De malo*, q.5. ed.leon. 23, 129-143.

<sup>209</sup> BUENAVENTURA, In 2 Sententiarum, d.33, a.3. Ed.Quarachi 1885, p.792.

<sup>210</sup> DURANDO, In P.Lombardo *Sententias Theologicas commentariorum* ...liber 2, d.33, q.3.Venetis 1586, fol.187v.

<sup>211</sup> J.DUNS ESCOTO, In 2 *Sententiarum*, d.33. Ed.Vivès 1893, t.13, p.323.

cap.25 Mt q.180 fine et 662 et 670, et alii plerique Doctores.

Conferunt ad integre cognoscendam poenam parvulorum aliae quaestiones quatuor: 1<sup>a</sup> utrum per Christum liberati fuerint ab inferis, de qua D.Thomas 3 p., q.52, a.7<sup>212</sup>; —2<sup>a</sup> utrum resurrecturi sint corpore integri atque perfecti de qua Suarez, tomo 2, disp.50, sect.5<sup>213</sup>; —3<sup>a</sup> utrum iudicandi sint in extremo iudicio, de qua in eodem tomo 2, disp.57, sect.6; —4<sup>a</sup> utrum pueri habituri sint aliquam cognitionem Christi Domini et suae culpae originalis, de qua vide duo loca proxime citata.

Totam disputationem de poena originalis peccati in futura vita reiecissee videtur D.Thomas in postremam partem Theologiae quae est de novissimis siquidem nec hic nec alibi de ea disputat in Summa Theologiae quem ordinem sequimur compulsi temporis brevitate.

Hactenus enarratae sunt omnes quaestiones de peccato originali usque ad 83 inclusive. Restant igitur sex aliae quaestiones de peccatis, scilicet a q.84 usque ad 89.

Q.84 disserit de modo quo unum peccatum ex alio procedit ac praesertim de septem vitiis capitalibus quibus scaturriunt reliqua crimina. Res haec per se facilis ex iis quae in q.77 et 78 dicta sunt facilius redditur.

Q.85, de effectibus peccati. Continet poenam originalis peccati in hac vita scilicet amissionem naturalis boni in mente, in appetitu et in corpore, quae omnia dicta sunt q.71, praesertim a.2, et de peccato originali sect.1, dubio 5 et 16 et sequentibus<sup>214</sup>.

Q.86, de macula peccati sive de reatu culpae qui ex peccato relinquitur. [f.534v] Huius praecipuam doctrinam reperies in tractatu de originali peccato sect.1, praesertim dubio 12 et 13 et 14<sup>215</sup>. —Et quod attinet ad maculam peccati venialis in q.89, a.1

Q.87, de reatu poenae, maxima ex parte tradita est in q.88, a.1, dubio 9, et a.4, dubio 2, et q.73, a.2, dubio 4 versus finem, et a.3, dubio 2 post 5<sup>am</sup> probationem, et in tractatu de originali peccato sect.1, dubio 14<sup>216</sup>, et

---

<sup>212</sup> TOMÁS AQ., *Summa*, 3 p., q.52, a.7. Ed.leon. 11.500.

<sup>213</sup> FRANCISCO SUÁREZ, 3 p., q.56. *De mysteriis vitae Christi, disp.50, sect.5.* Ed.Vivès t.19, p.933.

<sup>214</sup> *ATG 63* (2000) p.259; *ATG 64* (2001) p.311.

<sup>215</sup> *ATG 64* (2001) p.278.

<sup>216</sup> *ATG 64* (2001) p.297.

sect. 3, dubio 1<sup>217</sup>.

Duae postremae quaestiones, scilicet q. 88 et 89, eadem articulorum serie qua constant copiose explicatae sunt a me post q.71 ante 72.

Igitur de peccatis hactenus, qua in re ut in qualibet alia omnem sensum et opinionem nostram non solum Ecclesiae Romanae et illius episcopo maximo totius Ecclesiae unico capiti subiicimus sed etiam cuiusque maturioris iudicii et pollitioris ingenii limam subire non detrectamus quam tamen exacuat ratio, auctoritas roboret, charitas intendat, ne oppugnandi libidine sed sincero veritatis studio mordeat.

*Ad Gloriam omnipotentis Dei suaeque Matris Beatissimae Virginis Mariae huic materiae de peccatis finem imposuit Reverendus Pater Didacus Ruiz, societatis Iesu, Sacrae Theologiae Magister sexto die mensis februarii anno 1599.*

( sello de Biblioteca Universitaria de Salamanca )

---

<sup>217</sup> ATG 66 (2003) p.159.

**Diego Ruiz de Montoya**  
**Bibl. Univ. Salamanca, ms 489/582.**  
**Commentarii in materiam de peccatis.**

**Índice**

[fol.1] Proemium . . . . . ATG 49 (1986) 247-252

[fol.3] **Q.71<sup>a</sup>**, *De vitiis et peccatis secundum se.*

art. 1. Utrum vitium sit contrarium virtuti . . . . . ATG 49 (1986) 252-263

art. 2. Utrum vitium sit contra naturam . . . . . ATG 49 (1986) 264-296

art. 3. Utrum vitium sit peius quam actus  
vitosus . . . . . ATG 49 (1986) 297-302

art. 4. Utrum peccatum possit esse simul cum  
virtute . . . . . ATG 49 (1986) 302-327

Digressio de habituum moralium exten-  
sione . . . . . ATG 49 (1986) 327-346

art. 5. Utrum in quolibet peccato sit aliquis actus . ATG 49 (1986) 346.

art. 6. Utrum convenienter definiatur peccatum  
esse dictum vel factum vel concupitum  
contra legem Dei . . . . . ATG 49 (1986) 346

Disputatio de natura peccati actualis.

Dubitatur 1. Utrum ratio peccati consistat in pri-  
vatione, vel in aliquo positivo . . . . . ATG 2 (1939) 236-260

Dubitatur 2. De bonitate, quae peccato admixta  
est . . . . . ATG 2 (1939) 260-264

Dubitatur 3. Utrum absolute foret perfectior  
mundus, si nullum esset peccatum, quam  
modo est . . . . . ATG 2 (1939) 264-266

Dubitatur 4. Utrum peccatum essentialiter sit li-  
berum . . . . . ATG 2 (1939) 266-275

- Dubitatur 5. Utrum peccatum sit contra legem  
 Dei essentialiter . . . . . ATG 2 (1939) 275-280
- Dubitatur 6. Utrum, praecissa omni oppositio-  
 ne contra legem Dei, reperiatur essentia  
 peccati in sola oppositione actus contra  
 rationem . . . . . ATG 2 (1939) 280-287
- Dubitatur 7. Utrum oppositio contra legem sit  
 ita propria peccato, ut non possit in aliis  
 actibus reperiri . . . . . ATG 2 (1939) 287-292

[fol. 70]                    **Q. 88<sup>a</sup>.** *De peccato mortali et veniali.*

- art. 1. Utrum veniale peccatum convenienter di-  
 vidatur contra mortale.
- art. 2. Utrum peccatum mortale et veniale dif-  
 ferant genere.  
 Ad utrumque articulum.

Disputatio de oppositione contra Deum quae  
 constituit et distinguit mortale et veniale  
 peccatum.

- Dubitatur 1°. Utrum peccatum mortale avertat  
 a Deo et convertat ad creaturam tan-  
 quam ad ultimum finem . . . . . ATG 53 (1990) 174-183
- Dubitatur 2°. Utrum peccatum mortale sit con-  
 trarium charitati et quomodo . . . . . ATG 53 (1990) 184
- Dubitatur 3°. Utrum peccatum mortale sit des-  
 tructivum boni divi in quantum est ex se.  
 Ubi an possit, quod ex se est, auferre Deo  
 tristitiam. Et obiter de peccato veniali . . . . ATG 53 (1990) 185-191
- Dubitatur 4°. Utrum peccatum mortale sit ma-  
 lum Dei, scilicet, aliquomodo nocivum  
 Dei. Ubi quomodo opponatur Deo . . . . . ATG 53 (1990) 191-195



- Dubitatur 5°. Utrum in peccato mortali sit malitia infinita. Ubi etiam de veniali . . . . . ATG 53 (1990) 195-205
- Dubitatur 6°. Utrum peccatum mortale sit maximum omnium malorum. Ubi an quodlibet malum sit eligendum prius quam peccatum . . . . . ATG 53 (1990) 205-219
- Dubitatur 7°. Utrum ex peccatis quaedam sint mortalia et alia venialia . . . . . ATG 53 (1990) 220-232
- Dubitatur 8°. Utrum peccata mortalia et venialia distinguantur per aliquod intrinsecum et essentielle . . . . . ATG 53 (1990) 232-239
- Dubitatur 9°. Utrum peccatum mortale differat a veniali per reatum poenae aeternae et temporalis . . . . . ATG 53 (1990) 239-244
- Dubitatur 10°. Utrum peccatum mortale et veniale differant per ordinem ad ultimum finem. Ubi an veniale sit tantum circa media et utrum sit contra charitatem . . . . . ATG 54 (1991) 281-286
- Dubitatur 11°. Utrum ille qui peccat venialiter, ratione talis peccati avertatur ab ultimo fine et constituat ultimum finem in creatura. Ubi an veniale referri possit habitualiter in Deum . . . . . ATG 54 (1991) 287-293
- Dubitatur 12°. Utrum peccatum veniale sit contra praeceptum vel tantum contra charitatem . . . . . ATG 54 (1991) 294-299
- Dubitatur 13°. Utrum peccatum veniale sit simpliciter peccatum et ofensa Dei . . . . . ATG 54 (1991) 300-303
- Dubitatur 14°. Utrum peccatum dicatur analogice de veniali et mortali . . . . . ATG 54 (1991) 304-306
- Dubitatur 15°. Utrum aliquod peccatum veniale possit in eadem specie convenire cum mortali . . . . . ATG 54 (1991) 307-316

- Dubitatur 16°. Quibus notis discernenda sint  
 peccata venialia a mortalibus . . . . . ATG 54 (1991) 316-219
- Dubitatur 17<sup>a</sup>. Utrum possibile sit aliquod pec-  
 catum quod nec mortale sit nec veniale . . . ATG 54 (1991) 319-323
- art. 3. Utrum veniale sit dispositio ad mortale . . . . ATG 55 (1992) 213-216
- art. 4. Utrum peccatum veniale possit fieri mortale ATG 55 (1992) 216-246
- art. 5. Utrum circumstantia possit facere de ve-  
 niale mortale . . . . . ATG 55 (1992) 247-249
- art. 6. Utrum peccatum mortale possit fieri veniale ATG 55 (1992) 249-250

[fol. 129]            **Q. 89<sup>a</sup>.** *De peccato veniali secundum se.*

- art. 1. Utrum peccatum veniale causet maculam  
 in anima . . . . . ATG 55 (1992) 250-252
- art. 2. Utrum sapienter peccata venialia per lig-  
 num foenum et stipulam designentur . . . . . ATG 55 (1992) 253
- art. 3. Utrum homo in statu innocentiae potuerit  
 peccare venialiter . . . . . ATG 55 (1992) 254-264
- art. 4. Utrum angelus bonus vel malus possint  
 peccare venialiter . . . . . ATG 55 (1992) 264-267
- art. 5. Utrum primi motus sensualitatis in infi-  
 delibus sint peccata mortalia . . . . . ATG 55 (1992) 267
- art. 6. Utrum veniale possit esse in aliquo cum  
 solo originali . . . . . ATG 55 (1992) 267-302

[fol. 147v]            **Q. 72<sup>a</sup>.** *De distinctione peccatorum.*

- art. 1. Utrum peccata differant specie secundum  
 obiecta . . . . . ATG 56 (1993) 201-214
- art. 2. Utrum convenienter distinguantur peccata  
 spiritualia a carnalibus . . . . . ATG 56 (1993) 214-216
- art. 3. Utrum peccata distinguantur secundum cau-  
 sas . . . . . ATG 56 (1993) 216-217

- art. 4. Utrum peccatum convenienter distinguatur  
in peccatum in Deum, in se ipsum et pro-  
ximum . . . . . ATG 56 (1993) 218-220
- art. 5. Utrum divisio peccatorum secundum rea-  
tum diversificet speciem . . . . . ATG 56 (1993) 220
- art. 6. Utrum peccatum omissionis et commissio-  
nis differant specie . . . . . ATG 56 (1993) 220-289

[fol. 181] **Q. 73<sup>a</sup>.** *De comparatione peccatorum ad invicem.*

- art. 1. Utrum omnia peccata sint connexa . . . . . ATG 57 (1994) 269-277
- art. 2. Utrum omnia peccata sint paria . . . . . ATG 57 (1994) 277-295
- art. 3. Utrum gravitas peccatorum varietur secun-  
dum obiecta . . . . . ATG 57 (1994) 295-308
- art. 4. Utrum gravitas peccatorum differat secun-  
dum dignitatem virtutum quibus oppo-  
nuntur . . . . . ATG 57 (1994) 308-324
- art. 5. Utrum peccata carnalia sint maioris cul-  
pae quam spiritualia . . . . . ATG 57 (1994) 325-327
- art. 6. Utrum gravitas peccatorum attendatur se-  
cundum causam peccati . . . . . ATG 57 (1994) 327-328
- art. 7. Utrum circumstantia aggravet peccatum . . . . ATG 57 (1994) 329-332
- art. 8. Utrum gravitas peccati augeatur secundum  
maius nocumentum . . . . . ATG 57 (1994) 332-352
- art. 9. Utrum peccatum aggravetur ratione perso-  
nae in quam peccatur . . . . . ATG 57 (1994) 352-357
- art. 10. Utrum magnitudo personae peccantis  
aggravet peccatum . . . . . ATG 57 (1994) 358-370

[fol. 229] **Q. 74<sup>a</sup>.** *De subiecto peccatorum.*

- art. 1. Utrum voluntas sit subiectum peccati . . . . . ATG 59 (1996) 171-175
- art. 2. Utrum sola voluntas sit subiectum peccati . . ATG 59 (1996) 175-194
- art. 3. Utrum in sensualitate possit esse peccatum . . ATG 59 (1996) 194-224

- art. 4. Utrum in sensualitate possit esse peccatum  
 mortale ..... ATG 59 (1996) 224-228
- art. 5. Utrum in ratione possit esse peccatum ..... ATG 59 (1996) 228-238
- art. 6. Utrum peccatum morosae delectationis sit  
 in ratione ..... ATG 59 (1996) 238-239
- art. 7. Utrum peccatum consensus in actum sit  
 in ratione superiori.
- art. 8. Utrum consensus in delectatione sit pec-  
 catum mortale.
- art. 9. Utrum in superiori ratione possit esse pec-  
 catum veniales secundum quod est direc-  
 tiva inferiorum virtutum.
- art. 10. Utrum in ratione superiori secundum se  
 ipsam possit esse peccatum veniale.
- Disputatio 1<sup>a</sup>. Quomodo peccatum reperiatur  
 in ratione superiori et inferiori.
- Dubitatur 1<sup>o</sup>. Quid intersit inter superiorem ra-  
 tionem et inferiorem ..... ATG 59 (1996) 239-242
- Dubitatur 2<sup>o</sup>. Utrum omne peccatum mortale sit  
 in ratione superiori ..... ATG 59 (1996) 243-247
- Dubitatur 3<sup>o</sup>. Utrum omne peccatum sit in ratio-  
 ne inferiori an vero aliquod sit in sola ra-  
 tione superiori ..... ATG 59 (1996) 248-250
- Dubitatur 4<sup>o</sup>. Utrum peccatum possit esse in ra-  
 tione inferiori sine suggestione sensuali-  
 tatis ..... ATG 59 (1996) 250-253
- Dubitatur 5<sup>o</sup>. Utrum in superiori parte rationis  
 possit esse veniale ..... ATG 59 (1996) 253-257
- Disputatio 2<sup>a</sup>. De morosa delectatione.
- Dubitatur 1<sup>o</sup>. Utrum delectatio morosa sit mor-  
 tale peccatum ..... ATG 60 (1997) 207-216

- Dubitatur 2°. Ad quae vitia et ad quos affectus  
pertineat doctrina dubii praecedentis . . . . . ATG 60 (1997) 216-219
- Dubitatur 3°. Utrum sit peccatum mortale delectari de conside ratione alicuius rei quae est mortale peccatum vel de mirabili arte peccandi . . . . . ATG 60 (1997) 219-225
- Dubitatur 4°. Utrum peccet mortaliter qui per voluntatem non respuit delectationem turpem appetitus sensitivi, quamvis illum non amplectatur positive per voluntatem . . . . . ATG 60 (1997) 225-236
- Dubitatur 5°. Utrum ratione periculi teneamur sub mortali reprimere turpes delectationes appetitus . . . . . ATG 60 (1997) 236-241
- Dubitatur 6°. Quibus indiciis colligi poterit delectationem fuisse morosam et peccatum mortale . . . . . ATG 60 (1997) 241-243
- Dubitatur 7°. Utrum sit peccatum mortale procurare pollutionem . . . . . ATG 60 (1997) 244-252
- Dubitatur 8°. Utrum sit peccatum mortale dare causam pollutioni aut delectationi, non intendendo illam sed alium bonum finem . . . . . ATG 60 (1997) 252-258
- Dubitatur 9°. Utrum sit peccatum mortale dare causam pollutioni per rem alias illicitam . . . . . ATG 60 (1997) 258-269
- Dubitatur 10°. Utrum sit peccatum mortale desiderare vel amare aliquid sub conditione auferente eius malitiam mortalem . . . . . ATG 60 (1997) 269-273
- Dubitatur 11°. Utrum liceat delectatio praesens de his obiectis cogitatis quae licet desiderare sub conditione . . . . . ATG 60 (1997) 273-282
- Dubitatur 12°. Utrum sit peccatum mortale delectari de coitu aliorum . . . . . ATG 60 (1997) 282-282
- Dubitatur 13°. Utrum sit peccatum mortale viduam consentire in delectationem de actu matrimonii praeterito reducto in memoriam. Idem quaeritur de viro uxore mortua . . . . . ATG 60 (1997) 284-286

- Dubatur 14°. Quid si sponsus delectetur de actu matrimonii futuri . . . . . ATG 60 (1997) 286-287
- Dubatur 15°. Utrum peccent mortaliter coniugati si delectantur de actu matrimonii cogitato . . . . . ATG 60 (1997) 288-291
- Dubatur 16°. Utrum peccat mortaliter qui delectatur de actu matrimonii cogitato quando non licet illum exercere . . . . . ATG 60 (1997) 291-295
- Dubatur 17°. Utrum liceat complacere in pollutione quae evenit sine peccato. Ubi utrum liceat desiderare illam . . . . . ATG 60 (1997) 296-304
- Dubatur 18°. Utrum liceat optare cogitationes et delectationes turpes et pollutiones et alia similia evenire contra voluntatem ut praebeant occasionem meriti dum illis resistitur . . . . . ATG 60 (1997) 304-309
- Dubatur 19°. Quomodo reperiatur delectatio morosa in verbis, vel proferendis vel audiendis . . . . . ATG 60 (1997) 309-321
- Dubatur 20°. Quando sit peccatum mortale aspicere propter delectationem . . . . . ATG 60 (1997) 322-328
- Dubatur 21°. Utrum tangere propter delectationem sit peccatum mortale . . . . . ATG 60 (1997) 328-337
- Dubatur 22°. Quid iuris de tactibus et aspectibus inter coniugatos vel sponsatos . . . . . ATG 60 (1997) 337-341
- Dubatur 23°. Utrum femina quae sentit se tangi a viro libidinose teneatur resistere . . . . . ATG 60 (1997) 341-344

[fol. 312]      **Q. 75<sup>a</sup>.** *De causis peccatorum in generali.*

art. 1. Utrum peccatum habeat causam . . . . . ATG 61 (1998) 193

Dubium 1<sup>m</sup> . . . . . ATG 61 (1998) 193-194

Dubatur 2. Quae genera causarum habeat peccatum . . . . . ATG 61 (1998) 194-196

Dubitatur 3°. Utrum peccati causa sit aliquod summum malum . . . . .	ATG 61 (1998) 196-200
Dubitatur 4. Utrum peccati causa sit aliquod bonum . . . . .	ATG 61 (1998) 200-204
art. 2. Utrum peccatum habeat causam interiorem .	ATG 61 (1998) 204
Dubium 1 <sup>a</sup> . . . . .	ATG 61 (1998) 204-212
Dubitatur 2. Utrum voluntas sit causa peccati ut bona est vel ut imperfecta. Et inde constabit utrum voluntas ut efficiens vel ut deficiens sit causa peccati . . . . .	ATG 61 (1998) 212-221
Dubitatur 3. Utrum peccatum causetur per se a voluntate ut deficiens est . . . . .	ATG 61 (1998) 221-222
art. 3. Utrum peccatum habeat causam exteriorem .	ATG 61 (1998) 222-224
art. 4. Utrum peccatum sit causa peccati . . . . .	ATG 61 (1998) 224-226
[fol. 323v.]	<b>Q. 76<sup>a</sup>. De ignorantia.</b>
art. 1. Utrum ignorantia possit esse causa peccati . .	ATG 8 (1945) 132-133
Dubitatur 1°. Utrum cuiusque peccati causa sit aliqua ignorantia . . . . .	ATG 8 (1945) 133-150
Dubitatur 2°. Utrum ignorantia causet alia peccata	ATG 8 (1945) 150-153
Dubitatur 3°. Quae ignorantia possit esse causa peccati . . . . .	ATG 8 (1945) 153-154
art. 2. Utrum ignorantia sit peccatum . . . . .	ATG 8 (1945) 154-155
Dubitatur 2°. Utrum ignorantia sit peccatum ratio- ne sui vel potius ratione negligentiae ad- iunctae . . . . .	ATG 8 (1945) 156-162

- Dubitatur 3°. Utrum necessarium sit explicitè cognosci malitiam ignorantiae ut imputetur ad culpam, vel sufficiat cognosci implicitè et virtualiter in alia re cognita . . . . . ATG 8 (1945) 162-172
- Dubitatur 4°. Quando comittatur peccatum ignorantiae et quibus in rebus . . . . . ATG 8 (1945) 172-176
- Dubitatur 5°. Quibus indiciis deprehendemus culpabilem fuisse ignorantiam aut oblivionem . . . . . ATG 8 (1945) 176-178
- Dubitatur 6°. Qua diligentia opus sit, ut liberemur a culpa, licet ignoremus . . . . . ATG 8 (1945) 178-187
- art. 3. Utrum ignorantia excuset prorsus a peccato . . . . . ATG 8 (1945) 187-190
- Dubitatur 1°. Utrum ignorantia invincibilis antecedens prorsus excuset . . . . . ATG 8 (1945) 190-197
- Dubitatur 2°. Utrum ignorantia quae vinci non potest quando prodit in actum, sed potuit antea vinci excuset prorsus a culpa . . . . . ATG 8 (1945) 198-201
- Dubium 3<sup>m</sup>. esse potest utrum actus qui circa obiectum malum elicitur propter ignorantiam invincibilem sit bonus et in qua specie virtutis constituendus sit . . . . . ATG 8 (1945) 201
- Dubitatur 4°. Utrum ignorantia concomitans excuset prorsus a culpa . . . . . ATG 8 (1945) 201-208
- Dubitatur 5°. Utrum liceat complacere in opere malo, excusato tamen per ignorantiam invincibilem sive antecedentem sive concomitantem vel in homicidio ignoranter facto . . . . . ATG 8 (1945) 208
- Appendix* ad omnia dubia praecedentia.
- Utrum malitia volitionis invincibiliter ignorata excuset prorsus a culpa quando cognoscitur malitia obiecti . . . . . ATG 8 (1945) 209-213
- Dubitatur 6°. Utrum ignorantia vincibilis prorsus excuset a culpa . . . . . ATG 8 (1945) 214-216



- Dubitatur 7º. Utrum ignorantia vincibilis mutet  
speciem operis . . . . . ATG 8 (1945) 216-225
- Dubitatur 8º. Utrum ignorantia poenae excuset  
a culpa . . . . . ATG 8 (1945) 226-228
- art. 4. Utrum ignorantia diminuat peccatum . . . . . ATG 8 (1945) 228-237
- [fol. 362] **Q. 77ª.** *De causa peccati ex parte appetitus sensitivi.*

- art. 1. Utrum voluntas moveatur a passione appe-  
titus sensitivi . . . . . ATG 61 (1998) 227-231
- art. 2. Utrum ratio possit superari a passione con-  
tra suam scientiam . . . . . ATG 61 (1998) 231-233
- art. 3. Utrum peccatum quod est ex passione de-  
beat dici ex infirmitate . . . . . ATG 61 (1998) 233-234
- art. 4. Utrum amor sui sit principium omnis pec-  
cati . . . . . ATG 61 (1998) 234-239
- art. 5. Utrum convenienter ponantur causae pec-  
catorum concupiscentia carnis, concu-  
piscentia oculorum et superbia vitae . . . . . ATG 61 (1998) 239
- art. 6. Utrum peccatum alleviatur propter pas-  
sionem . . . . . ATG 61 (1998) 239-245
- art. 7. Utrum passio totaliter excuset a peccato . . . . . ATG 61 (1998) 245-246
- art. 8. Utrum peccatum ex passione possit esse  
mortale . . . . . ATG 61 (1998) 246

[fol. 368v] **Q. 78ª.** *De causa peccati quae est malitia.*

- art. 1. Utrum aliquis peccet ex certa malitia . . . . . ATG 61 (1998) 247-251
- art. 2. Utrum quicumque peccat ex habitu pecca-  
ti ex certa malitia . . . . . ATG 61 (1998) 251-253
- art. 3. Utrum quicumque peccat ex certa malitia  
peccet ex habitu . . . . . ATG 61 (1998) 253-256
- art. 4. Utrum ille qui peccat ex certa malitia gra-  
vius peccet quam qui ex passione . . . . . ATG 61 (1998) 256-261

[fol. 373] **Q. 79<sup>a</sup>.** [*De causis exterioribus peccati.  
Et primo, ex parte Dei*].

art. 1. Quomodo Deus sit causa peccati.

art. 2. [Utrum actus peccati sit a Deo].

Dubitatur 1. Utrum Deus peccet vel moveat ad peccandum . . . . .	ATG 62 (1999) 141
Sectio prima. Haeticorum deliria et argumenta.	ATG 62 (1999) 141-145
Sectio 2. Veritas explicatur duplici conclusione .	ATG 62 (1999) 146-154
Sectio 3. Solvuntur argumenta haeticorum proposita in sectione 1 <sup>a</sup> . . . . .	ATG 62 (1999) 154-160
Dubitatur 2. Utrum actus peccati sit a Deo . . . . .	ATG 62 (1999) 160-169
Dubitatur 3. Utrum Deus sit auctor et causa peccati . . . . .	ATG 62 (1999) 169-172
Dubitatur 4. Quomodo possunt haec duo convenire, videlicet Deum concurrere ad actionem peccati et Deum non esse auctorem peccati . . . . .	ATG 62 (1999) 172-182
Dubitatur 5. Ad varia argumenta solutio quo pacto ex praecedenti decisione deducenda sit . . . . .	ATG 62 (1999) 182-187
Dubitatur 6. Utrum generalis concursus Dei determinet voluntatem nostram ad actionem peccati . . . . .	ATG 62 (1999) 188
Sectio 1 <sup>a</sup> . Non esse necessariam hanc determinationem . . . . .	ATG 62 (1999) 188-197
Sectio 2 <sup>a</sup> . Diluuntur argumenta quibus impugnari solet conclusio 3 sectionis praecedentis . . . . .	ATG 62 (1999) 197-205
Sectio 3 <sup>a</sup> . Utrum Deus determinet voluntatem nostram ad actionem peccati . . . . .	ATG 62 (1999) 206-216
Dubitatur 7. Utrum Deus velit peccatum . . . . .	ATG 62 (1999) 216-227

- art. 3. Utrum Deus sit causa excaecationis et in-  
durationis ..... ATG 62 (1999) 227-234
- art. 4. Utrum induratio et obcaecatio semper or-  
dinetur ad salutem eius qui excecatur et  
induratur ..... ATG 62 (1999) 234-235

[fol.402]        **Q. 80<sup>a</sup>.** *De causa peccati ex parte diaboli.*

- art. 1. Utrum Diabolus sit homini directe causa  
peccandi ..... ATG 67 (2004) 147
- art. 2. Utrum Diabolus possit movere ad peccandum  
interius instigando ..... ATG 67 (2004) 147-148
- art. 3. Utrum Diabolus possit necessitatem inferre ad  
peccandum ..... ATG 67 (2004) 148
- art. 4. Utrum omnia peccata hominum sint suggestione  
diaboli ..... ATG 67 (2004) 148-151

[fol. 404]     **Q. 81<sup>a</sup>, 82<sup>a</sup>, 83<sup>a</sup>.** *Tractatus de originali peccato.*

Sectio 1<sup>a</sup>. *De veritate et essentia originalis peccati.*

- Dubitatur 1<sup>o</sup>. Utrum sit peccatum originale ve-  
ram culpae rationem habens. Ubi an ra-  
tione naturali probetur ..... ATG 63 (2000) 203-226
- Dubium 2. Quomodo possit imputari ea culpa  
quae per originem traducitur. Ubi an sit  
voluntaria et libera ..... ATG 63 (2000) 226-241
- Dubium 3. Argumenta contra veritatem origina-  
lis culpae dissolvit ..... ATG 63 (2000) 242-247
- Dubitatur 4. Utrum privatio originalis iustitiae  
sit formalis ratio originalis peccati ..... ATG 63 (2000) 247-259
- Dubitatur 5. Utrum originale peccatum includat  
formaliter privationem alicuius doni super-  
naturalis ..... ATG 63 (2000) 259-273

- Dubitatur 6. Utrum originale peccatum includat essentialiter privationem gratiae iustificantis . ATG 63 (2000) 273-286
- Dubitatur 7. Utrum carentia doni subiicientis voluntatem Deo sit formale in originali peccato . . . . . ATG 64 (2001) 241-251
- Dubitatur 8. Varias difficultates complectitur circa subiectionem et gratiam, qua privat originale peccatum . . . . . ATG 64 (2001) 251-260
- Dubitatur 9. Utrum originale peccatum sit aversio a Deo etiam ut a fine naturali . . . . . ATG 64 (2001) 260-264
- Dubitatur 10. Utrum originale peccatum sit conversio ad creaturam . . . . . ATG 64 (2001) 264-272
- Dubitatur 11. Utrum originale peccatum sit habituale peccatum Adami ad nos origine trans fuscum. Ubi an specie differant . . . . . ATG 64 (2001) 272-278
- Dubitatur 12. Utrum originale peccatum sit reatus, indignitas gratiae sive dignitas carenti gratia et dignitas odii. Ubi de impotentia habendi gratiam . . . . . ATG 64 (2001) 278-287
- Dubitatur 13. Utrum originale peccatum sit reatus poenae. Ubi an in eo sit ratio offensae . ATG 64 (2001) 288-296
- Dubitatur 14. Utrum originale peccatum sit actuale Adami aliquo modo manens donec remittatur. Ubi an sit terminus inobedientiae et macula . . . . . ATG 64 (2002) 297-302
- Dubitatur 15. Utrum universi homines peccaverint aliquo actu a quo proveniat reatus originalis . . . . . ATG 64 (2001) 302-309
- Appendix. Utrum originale maneat actu post baptismum . . . . . ATG 64 (2001) 309-311
- Dubitatur 16. Utrum concupiscentia sit originale peccatum . . . . . ATG 64 (2001) 311-331
- Dubitatur 17. Utrum ignorantia sit originale peccatum. Ubi de aliis defectibus . . . . . ATG 64 (2001) 332-336

- Dubitatur 18. Utrum originale peccatum sit aegritudinis qualitas vel habitus realiter superadditus naturalibus potentiis . . . . . ATG 65 (2002) 187-207
- Dubitatur 19. Utrum concupiscentia per se et ex natura sua sit peccatum originale ac proinde etiam in baptizatis . . . . . ATG 65 (2002) 207-216
- Appendix. Utrum concupiscentia post baptismum sit gloriae impedimentum et propie poena . . . . . ATG 65 (2002) 217-220
- Dubitatur 20. Utrum originale peccatum sit substantia hominis . . . . . ATG 65 (2002) 220-223

Sectio 2<sup>a</sup>. *De subiecto originalis peccati et corruptionis quae idem peccatum praecedat et sequitur.*

- Dubitatur 1. Utrum originale peccatum fuerit in Adamo . . . . . ATG 65 (2002) 224-227
- Dubitatur 2. Utrum in semine, antequam informetur anima rationali, sit originale peccatum . . . . . ATG 65 (2002) 227-230
- Dubitatur 3. Utrum in semine, antequam informetur anima rationali, sit aliquod vitium, corruptio vel infectio, a qua redundet postea originale peccatum . . . . . ATG 65 (2002) 230-238
- Dubitatur 4. Utrum originale peccatum sit in carne vel in anima . . . . . ATG 65 (2002) 238-249
- Dubitatur 5. Utrum in carne sit infectio a qua redundet originale peccatum in anima . . . . . ATG 65 (2002) 249-261
- Dubitatur 6. Utrum anima contrahat originale peccatum ex carne propter appetitum quo propendet in carnem . . . . . ATG 65 (2002) 261-264
- Dubitatur 7. Utrum primum subiectum originalis peccati sit animae substantiae, an vero illius voluntas. Ubi an persona sit subiectum . . . . . ATG 65 (2002) 264-273

Dubitatur 8. Utrum originale peccatum voluntatem prius et magis quam alias potentias afficiat ..... ATG 65 (2002) 274-276

[fol. 489] Sectio 3. *Quae peccata et quorum parentum ad posteros traduci potuerint.*

Dubitatur 1. Utrum omnia peccata Adami vel aliorum Parentum traducantur ad posteros . ATG 66 (2003) 159-171

Dubitatur 2. Quae turpitudine primi peccati traducatur ad posteros ..... ATG 66 (2003) 171

Dubitatur 3. Utrum peccatum mere internum, si fuisset primum traduceretur in posteros ..... ATG 66 (2003) 172-176

Dubitatur 4. Utrum ad posteros transmitteretur primum peccatum Adami, si violaret aliud praeceptum servata abstinentia ab arbore scientiae ..... ATG 66 (2003) 177-179

Dubitatur 5. Utrum primum peccatum, si post generationem committeretur transmittendum esset ad filios quoa Adamus in iustitia originali perseverans genuisset. Ubi etiam de reliqua posteritate ..... ATG 66 (2003) 179-188

Dubitatur 6. Utrum transmitteretur ad posteros peccatum cuiusque parentis qui genitus fuisset in originali iustitia ..... ATG 66 (2003) 189-193

Dubitatur 7. Utrum traduceretur originale peccatum, si foemina peccaret viro non peccante ATG 66 (2003) 193-197

[fol. 504] Sectio 4. *De numero et gravitate originalium peccatorum.*

Dubitatur 1. Utrum originalia peccata totidem sint quot homines ..... ATG 66 (2003)198-203

Dubitatur 2. Utrum peccatum originale sit aequaliter in omnibus ..... ATG 66 (2003)203-207